00023294

NOT TO BE ISSUED
OUT OF THE LIBRARY.

BOMBAY BRANCH
OF THE
ROYAL ASIATIC SOCIETY
TOWN HALL, BOMBAY.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016

XX. 8. 3

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

VOLUMEN X.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO
ACADEMIAE PISANAE CURATORE

PISIS MDCCLXXXIII.

EXCUDEBAT JACOBUS GRATIOLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

00023294

CAROLO EUGENIO
VIRTEMBERGENSI DUCI
&c. &c.

ANGELUS FABRONIUS

PArentare quodammodo majoribus hoſtiis videor mihi manibus clarorum virorum, de quibus ſcribendum ſu-

ſcepi, quoties operis Patronum inter magnos Principes mihi invenire contigit, cui cordi ſit, veteribus propoſitis exemplis, homines ad priſtina atque praeclara ſtudia revocare. Imperantium profecto providentia ac virtute revireſcunt artes atque diſciplinae, quod in illorum poteſtate non minus fortunae, quam ingenia atque mores eorum, quos regunt, eſſe videantur. Nihil autem abs Te non expectare atque ab Tuis debemus, Celsissime Princeps, qui nulli ſumptui peperciſti (quid enim Te niſi ſplendidum, magnificum & vix credibile poſteritati unquam delectavit?) ut eſſet Studgardiae omni librorum genere inſtructa bibliotheca, & quaſi officina quaedam Sapientiae, & omnium nobiliſſimarum artium di-

verſorium. Ad quod non videbor confidentius accedere, quod veniam cum agmine doctiſſimorum hominum, quorum facta cupis tuorum oculis ſubjicere, ut eorumdem ſtudiorum ac laborum non ſolum admiratores, ſed etiam aemuli atque imitatores evadant.

Angelus Fabronius
Petro Metastasio
S. P. D.

Multa quidem ſunt, quae Jani Vincentii Gravinae nomen illuſtrant, ſed nihil eſt ad ejus laudem illuſtrius, quam quod te, vir immortalitate digniſſime, ad magnarum artium diſciplinas & ad omne officii munus inſtruxerit. Etenim non mediocris pars ad illum dimanat praeclarae famae atque exiſtimationis, quas meritiſſimo ab omnibus collegiſti hominibus; & extincta videntur maledicta, quae in eumdem contumelioſiſſime conjecta erant, ex quo te virum ſummum educavit, & in lucem hominum protulit. Quod quidem nemo ignorare poteſt, cum ſemper in ore habeas Gravinae nomen, & in omni ſermone multa & ornate & honorifice de illo praedices, eique in primis referas accepta, quae in te homines maxime admirantur, animi bona, praeſtantiam in poeſi, multas litteras, reconditas & exquiſitas.

His praeconiis tuis aveo mea quoque adjungere, ornatiſſime Metaſtaſi, non quod tecum auctoritate contendere me poſſe putem, ſed quod magnopere peccare viderer, ſi ingreſſus ſcribere de Italis doctrina excellentibus, qui noſtra & patrum memoria floruerunt, Gravinam praetermitterem. Quae vero in hujus viri moribus, vitae conſuetudine & ingenii monumentis explicandis ſcripto mandavi, a te etiam atque etiam peto, ut limato ac polito judicio tuo expendenda ſubjicias, cui ſi erunt probata, omnibus ſe fore probata debent ſperare. Magnam quoque fidem, auctoritatem & firmamentum adjungere poterit iis rebus, quae a me de illo narrantur, confirmatio tua propter domeſticum uſum, conſuetudinem, omniumque rerum communicationem ſocietatemque, quae tibi cum eodem fuerunt. Itaque cum intelligent homines nihil eſſe in hoc commentariolo, quod Metaſtaſius diligenter non examinaverit comprobaveritque, Gravinae non ſolum a me praeconium tributum, ſed etiam grave teſtimonium impertitum clari hominis doctiſſimique judicabunt. Utinam illius ſic per me vigeat memoria, ut multos tandem pudeat ita deerraſſe a viis optimarum ar-

tium, quas ipſe Italis ſuis monſtravit, ut intollerabili neglectu atque faſtidiis pene obſoleviſſe videantur Graecarum atque Latinarum litterarum ſtudia. Quid hoc eſt, niſi ſtultitia & perverſitas eſt? Profecto non tantam Gothorum immaniſſimae gentes e Ponto erumpentes, atque in Italiae peſtem atque vaſtitatem efferveſcentes obſceno ore ac barbaris moribus perniciem florentiſſimae provinciae importarunt, quantam iſti in Italia nati atque alti dictis, ſcriptis & factis ſuis per ſummum ſcelus atque immanitatem afferre volunt, dum ſtudent avocare homines ab iis fontibus, unde omnis elegantia defluxit. Faveant Galli, adulentur, blandiantur, & linguae lenocinentur ſuae; hanc unam colendam, expetendam atque, ut ita dicam, procandam putent; glorientur ſuis nota feciſſe Graeca & Latina exemplaria Gallicis interpretationibus; per me licet pergant ridere eos, qui in iisdem exemplaribus verſandis diu noctuque elaborant; nos quidem, ſi ſapimus, ita Italicis litteris operam dabimus, ut nunquam oculos a veterum ſcriptis amoveamus; imitabimurque ſapientiſſimos Romanorum Tullium, Virgilium, Horatium, qui licet Latinas litteras ad ſummam

gloriam extulerint, nunquam tamen ſuis ita contenti fuerunt, quin totos ſe contulerint ad Demoſthenem, Homerum, Pindarum alioſque hujuſmodi Graecos ſcriptores, perſuaſerintque Romanis hominibus non exemplo modo, ſed etiam voce, ut Graecorum volumina aſſidue pervolutarent. Scio, mi elegantiſſime Metaſtaſi, te in excitanda atque acuenda juventute plurimum valere, cum ſaepe laudes eos ſcriptores, a quibus didiciſti mores & affectus hominum mirabiliter exprimere, exquiſitiſſimas ſententias molli & tenera oratione veſtire, totos ad te rapere auditores lectoreſque tuos, quidquid iis ſpectandum legendumque proponas, ac demum, ut de ceteris ſingularibus virtutibus tuis ſileam, linguam & poeſin Italicam tanta venuſtate, lepore atque dignitate ornare, ut eae vel agreſtioribus nationibus per te perplacuiſſe glorientur. Sed tempus eſt, ut ad Gravinam veniam, quem omnes norunt ita a te efferri, quaſi unum hominem, qui Italiae rem litterariam corrupto ſaeculo reſtituit. Vale.

Romae Kal. Februarii MDCCLXVI.

JANUS VINCENTIUS GRAVINA

ROgianum eſt oppidum pervetus in Brutiis non procul Conſentia, idemque frequens. In hoc oppido parentibus quidem honeſtis Januario Gravina & Anna Lombarda natus eſt Joannes, ſive ut ipſe maluit, Janus Vincentius Gravina XII. Kalen. Februar. an. MDCLXIV. Hic primam aetatulam domi conſumpſit, ibique poſuit rudimenta illarum artium, quae repertae ſunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingantur atque ad virtutem. Mox a patre Scaleam ductus eſt ad Gregorium Caropreſium, virum praeſtantem optimis artibus & doctrinis, eique in diſciplinam traditus. Dici non poteſt quam praeceptori carus fuerit non minus propter propinquitatem (hunc enim amitinum habebat) quam propter mores ingeniumque docile, come & ad omnia aptum. Porro Gravina res fere innumerabiles ita celeriter percipiebat, ut non tum primum percipere videretur, ſed reminiſci &

recordari; perceptas vero ita firme retinebat, quaſi inſculptas haberet in animo. Hoc munus fuit naturae; illud vero fortunae, quod in ejuſmodi inciderit magiſtrum, a quo non in perverſo, ut ea ferebant tempora, dicendi ſcribendique genere erudiretur, ſed in perfecto; doceretur que fugere Peripateticae philoſophiae auctoritatem, quae una tunc in ſcholis florebat ac dominabatur; contra vero Renati Carteſii diſciplinam amplecti. Quod & fecit, iis a geometria adjumentis acceptis, ſine quibus nulla acies humani ingenii tanta eſt, quae penetrare ad recentiorum phyſicam poſſit. Eodem quoque Caropreſio auctore atque interprete, ſaepe ſumebat in manum Bernardini Teleſii & Petri Gaſſendi libros, qui libri Parmenideam & Epicuream philoſophiam prope dimiſſam revocarunt. His copiis cum eſſet inſtructus Janus Vincentius Neapolim a Caropreſio mittitur, eo conſilio, ut ibi juris prudentiae in primis ſtuderet. Itaque eum commendavit & tradidit Seraphino Biſcardo Conſentino, qui tum in Neapolitano foro Juriſconſultorum prin-

ceps numerabatur. Neque hoc contentus, illi tantum pecuniae, quantum ſatis eſſet ad honeſte ſuſtentandam principe in urbe vitam, aſſignavit. Biſcardus priusquam adoleſcentulum ad juris prudentiam duceret, juſſit eum renovare ſtudia litterarum Graecarum & Latinarum, ac praeſertim eloquentiae, quanquam in iis artibus ipſum a pueritia plurimum profeciſſe non ignoraret. Hoc enim magnopere ad id, quod volebat, conducere arbitrabatur. Audivit ergo Gravina Gregorium Maſſerium, aliosque ea tempeſtate nobiles illarum facultatum magiſtros. Hoc tempore dicitur duas Italico ſermone condidiſſe tragoedias, quarum alteram *il Criſto*, alteram *il S. Atanaſio* inſcripſit, & quaſdam etiam umbratiles compoſuiſſe orationes. His aliiſque exercitationibus atque ſtudiis cum ſibi non ſolum acuiſſet ac procudiſſet linguam, ſed & compleviſſet pectus maximarum rerum & plurimarum copia atque varietate, impulſus eſt a Biſcardo ad amplectendam juris prudentiam. Recuſavit primum, quod non minus illum ad ſe alliceret mira quaedam ſuavitas ac de-

lectatio, quam ex manſuetioribus Muſis ac philoſophia percipiebat, quam deterreret praejudicata opinio, omnia in juris prudentia plena eſſe erroribus, barbarie ac colluvie. Ad hanc opinionem convellendam uſus eſt Biſcardus rationibus atque exemplis, quae quidem, accedente praeſertim tanti viri auctoritate, ſatis apud Gravinam habuere momenti atque ponderis. Ex quo factum eſt, ut non dubitaverit amplius ad juris prudentiam ſe conferre. Poſt autem adhibitis praeclaris doctoribus, ſtudioſe & multum volutatis non ſolum legum libris, ſed etiam celebrioribus illorum interpretibus, ac praeſertim Accurſio & Cujacio, incredibili quodam illius ſcientiae perfecte tenendae ſtudio flagravit. Quod quidem ſic ei ſucceſſit, ut anteferretur eidem nemo, perpauci pares putarentur. Juris ſcientiae tanquam ancillulam pediſſequamque adjunxit Gravina omnis antiquitatis ac praeſertim Romanae cognitionem, in qua adeo proceſſit, ut nihil fere reperiri poſſet, quod ei eſſet incognitum. Et quia interdum utitur Juriſconſultus ſubſidio theologiae in iis prae-

ſertim cauſſis, quae ad jus Pontificium ſpectant, idcirco Gravina huic quoque ſcientiae haud mediocrem operam dandam putavit. Ut vero nulla intermiſſio fieret illorum ſtudiorum, quae a pueritia excoluerat, quotidie diligenter legebat illos non ſolum dicendi, ſed etiam intelligendi graviſſimos auctores & magiſtros, Platonem & Ciceronem. Magnis quidem in laboribus ſe exercuit Gravina eo tempore, quo Neapoli commoratus eſt; cui rei illud indicio eſſe poteſt, quod nunquam pedem domo extulit, niſi quatenus aut religio, aut ſtudia ſua poſtulabant. Ex vehementi vero atque aſſidua lectione meditationeque erupit ſtomachi ac viſcerum morbus, quo ille reliquo vitae curſu ſaepe, ac praeſertim ſolſtitiorum tempore, afflictatus eſt. Hic cum arctiſſimam junxiſſet conſuetudinem cum Dominico Auliſio ſummae eruditionis homine, eo ſocio & adjutore utebatur, quo facilius longam viam conficeret, quae ad ſapientiam ducit. Cumque in hac longius proceſſiſſet, aliis bonae indolis adoleſcentibus monſtrare non recuſabat, qua illis quoque

ingrediendum eſſet, & quale illud eſſet; quo ipſe perveniſſet. Haec res materiem fortaſſe dedit inimicis Gravinae, ut calumniarentur inſtituiſſe eum Neapoli ſodalitium, quod haberet quamdam *Lucis Univerſalis* doctrinam, eaque una ad omnium rerum cognitionem facile perveniri poſſe ineptis hominibus perſuaderet. Aliquot jam erant anni cum Gravinam mirum tenebat deſiderium viſendae Urbis; idque perficere non antea ei licuit per Caropreſium, ex cujus voluntate pendebat, quam ineunte an. MDCLXXXVIII. Romam cum veniſſet, domo exceptus fuit a Paullo Coardo Taurinenſi, & apud eum plures annos commoratus eſt tanquam apud fratrem. Quae vero cauſſa impulerit Coardum, ut tam liberaliter ſe gereret in Gravinam, num amici alicujus commendatio, num opinio quaedam, quam haberet de illius doctrina (multum enim & litteras & litteratos homines amabat) non ſatis liquet. Domeſtico hoc praeconio brevi Gravina multorum doctrina excellentium virorum benevolentiam collegit; cumque ejus nomen tota jam celebraretur Urbe, partam exiſtimatio-

nem non ſolum tueri, ſed etiam augere omni ſtudio contendit. Frequens aderat litterario coetui, qui in domo Joannis Juſti Ciampinii habebatur; ac ſaepe ei data eſt occaſio oſtendendi in illo lumen ingenii ſui. Socium ſe adjunxit iis, qui de inſtituenda Arcadiae Academia cogitabant; qua in re perficienda magni fuit ejus opera. Sexto vero anno, quo conſtituta erat Academia, cum placuiſſet ſcribi ea, quae condita erant in Paſtorum inſtitutis ac legibus, haec res Opico Erymanthaeo (hoc apud illos nomen habebat Gravina) mandata eſt. Confecto mandato ad priſcarum legum exemplum, coetus univerſus Paſtorum convocatur, ad quos poſtquam Gravina Latinam orationem habuit ſapientiſſimis ſententiis & gravibus verbis ornatam, quae maxime commendabat ſimplicem ac plane paſtoritiam eorumdem rationem inſtitutionemque, nec non conſpirationem & concordiam ad conſervandam inter omnes aequalitatem, propoſitae fuerunt leges ſolemni illa formula; *Velitis jubeatis* &c. Propoſitas leges coetus ſcivit, eaſque in marmore incidendas, & in

Parrhaſio nemore figendas curavit. Laus, quam ex harum legum ſcriptione hauſit Gravina, minime quidem vulgaris fuit. Sed hac tamen parum ille contentus, in multis epiſtolis ſuis ad amicos, nec non in familiaribus ſermonibus gloriari non dubitavit, ſe non modo ſcriptorem, ſed etiam conditorem earumdem legum fuiſſe. Hoc viſum eſt indignum Cuſtodi, ceteriſque Arcadibus, quorum offenſam in ſe voluntatem ut recuperaret Janus Vincentius, ſcripto declarare coactus eſt, *ſe nihil ex ſuo ſenſu protuliſſe, aut veteribus inſtitutis adjeciſſe, ſed totum ex Arcadicis commentariis, in quibus quadraginta monitorum capita vernacula & longiori oratione praeſcripta erant, eruiſſe*. Sed non diutiſſime manſit haec reconciliatio. Nam cum multi praeclarae indolis adoleſcentes domum Gravinae frequentarent exercendi ſe cauſſa in litterarum ſtudiis, id ſuſpicionem movit Mario Creſcimbenio, qui primum locum inter Arcades tenebat, illos aliquid contra ſe occulte moliri. Dolebant hi quidem Arcadiam ſapientiſſimis ſtabilitam conſiliis & inſtitutis eos evertere, qui poteſtatem &

honorem quinquennalem nimis diu in Creſcimbenio retinerent; hunc videri appetere perpetuum dominatum; hunc leges perfringere, quoniam in creandis Collegis, qui Cuſtodi adeſſe debent, tantum ſibi arrogabat, ut quos eligere meritiſſimo debuiſſet, praeteriret, & eorum ſolum rationem haberet, quos ſibi amicitia commendabat. Haec ex ipſius ore Gravinae mitti arbitrabatur Creſcimbenius; ex quo fiebat, ut quotidie magis eorum voluntates a ſe invicem abalienarentur. Erupere tandem inter eos apertae inimicitiae ex eo die, quo judicatum fuit contra ſententiam Gravinae, verba illa legis II. quae eſt de creandis Collegis, *ſex in orbem eligito*, non hoc velle, ut qui ſemel Collega fuiſſet, hac poteſtate iterum fungi non poſſet, niſi illa prius ad ſingulos Paſtores in orbem perveniſſet. Qui Gravinae ſententiam ſequebantur, acerbe invecti ſunt in hoc judicium, quod eam legem convellere dicebant, quae eſt fundamentum ac vinculum aequalitatis. Itaque omnes una & mente & voce conſenſerunt ad auctoritatem ejusdem legis, & Arcadiae libertatem

defendendam. Hinc illa diſſidia, quae in duas partes totam diſtraxerunt Arcadiam; de quibus quoniam ſatis multa perſecuti ſumus in Franciſci Lorenzinii vita, illinc aſſumes, quae ad hunc locum pertinebunt. Voluit Gravina quibuſdam abſentibus amicis ſuis, quorum magnum erat in Arcadia nomen, ſe purgare, ne ea, quae ipſius Arcadiae cauſſa egiſſet, in ſuam contumeliam verterent. Itaque ſcripſit epiſtolam ad Scipionem Maffejum, qua illum docuit, quod, & qua de cauſſa diſſidium factum fuiſſet; ab eodemque petiit, ut Apoſtolum Zenum & Bernardum Treviſanium de tota re certiores faceret. Sed admonendi ſunt lectores, ne putent omnia ad veritatem in hac epiſtola perſcripta fuiſſe. Ac mihi quidem cogitanti lites, jurgia, contumelias, maledicta, quae hanc diviſionem comitata ſunt, fatalis quaedam calamitas accidiſſe Arcadiae videtur; conſideranti vero laudabilem illam aemulationem, quae acri ac vehementi incitatione utriuſque partis animos inflammabat ad primas in poeſi tenendas, nullum occurrit tempus, quod magis Arcadiae ad

poſteritatis memoriam gloriosum fuerit. In hac aemulatione praebuit ſe Gravina ducem & magiſtrum; invidebaturque ei, quod circum ſe ſemper haberet florem juventutis, cui gloriae curſum monſtrabat. Sibi profecto placebat Gravina de hoc juvenum comitatu, inter quos eminebant Paullus Rollius, & Dominicus Octavius Petroſellinius, qui, quod emerſiſſent e barbarie, quae ſuperiori ſæculo humaniores litteras infuſcaverat, omneſque pene homines miſere obruerat, unice ſe Gravinae debere profitebantur. Hoc auctore, condidit Petroſellinius poema, in quo habita quaeſtio de interpretatione verborum *ſex in orbem eligito*, prolatumque a concilio Paſtorum judicium varie, lepide elegantiſſimeque narrantur. Initio vero poematis ea manu Gravinae perſcripta vidi, quae ſatis declarant, quam magni opus hoc atque ejus auctorem faceret. Sed majora quoque ſunt, quae ille tribuebat Alexandro Guidio, cum ſolitus eſſet dicere, neſcire ſe, an Italica poeſis multis ſaeculis parem habuiſſet ullum. Hoc praeſertim in Guidio laudabat Gravina, quod

genus poeſis expreſſerit elegans, grande, claris, planeque novis conſperſum ſententiarum coloribus; quodque primus homines docuerit declinare tum liberam effrenatamque licentiam, tum ſervilem & cunctantem imitationem. De quo viro graviſſimum praeſertim idem reliquit teſtimonium in eo, quod tertio anno, poſtquam Romam venerat, ſcripſit opuſculo de Endymionis fabula. Condiderat hanc fabulam Guidius juſſu Chriſtinae Svecorum Reginae; cumque illa in publicum prodiiſſet, contigit ei, ut in varias malevolorum atque imperitorum reprehenſiones incurreret. Hos Gravina refutare aggreſſus, orditur opuſculum ab exagitandis iis, qui ope praeceptorum quorumdam, & ſine ductu philoſophiae cenſorum perſonas ſuſtinere ſe poſſe putant. Inveſtigans inde quam lati ſint fines poeticae facultatis, hos eadem terminatione, qua univerſam rerum naturam concludi ait: illum optimi poetae munus implere, qui ſcit veris coloribus ad vivum exprimere actiones, mores & affectiones hominum, & quid-

quid

quid ex univerſitate rerum ſibi ſubjicit tanquam materiem, in qua verſetur: qua occaſione oſtendit perfectum naturae pictorem fuiſſe Homerum, ex noſtris vero Areoſtum, ac praeſertim Dantem, in quo illud ſatis ſe mirari non poſſe ait, quod uno poemate non ſolum humanas, civileſque res, ſed etiam divinas comprehenderit; quodque incredibili brevitate atque evidentia omnes mores, conditiones atque affectus repraeſentaverit, ut non aliquam poeſin, ſed picturam, verbaque in res ipſas converſa videamus. His aliiſque praepoſitis, venit ad examen fabulae, quam ſic textam ait, ut ſine implicatione magnorum eventuum perquam attentos faciat auditorum animos. Saevo amore ſaucia Diana ſibi demereri Endymionem ſtudet, ſed ita, ut nihil admittat, quod Divae indecorum eſſe videatur. Quam belle, quam proprie argumentum hoc tractaverit Guidius; quam ſcienter expreſſerit Dianam modo ſe in amore effundentem, modo ſe continentem, quam mirabiliter immortale cum mortali, caeleſtia cum humanis copulaverit; quanta denique novitate,

gravitate, copia ac ſplendore ſententiarum hanc fabulam poeta diſtinxerit, pluribus perſequitur Gravina. Hunc voluiſſe in Guidio commendando propriam ingenii gloriam conſequi multa declarant, ſed illud in primis, quod moleſte tulerit illud ſuum opuſculum loco non anteire fabulam in impreſſione, quae utriuſque habita eſt Romae typis Komarekianis an. MDCXCII. Id ut aliqua ex parte corrigeret, ſimulavit apud Batavos recuſum fuiſſe librum. Sed ſola fronte ejus mutata, in qua primus conceſſus eſt locus Gravinae, ſecundus Guidio, haud ſuſtineri ſimulatio potuit; inventique ſunt, qui Gravinae ambitionem libere exagitaverint. Is in eo quoque a nonnullis accuſabatur, quod omnia, quae de arte poetica ſciebat, eo in opuſculo effudiſſet, quodque in laudibus tribuendis Guidio fuiſſet nimius & tanquam prodigus. Porro ita comparatus natura erat Janus Vincentius, ut tum in laudando, tum in reprehendendo modum facile excederet. Sed raro laudatoris perſonam ſuſtinebat, ſaepiſſime reprehenſoris; & dum aliquid naſute diſtringebat, non ſolum libe-

rum ingenuumque faſtidium prae ſe ferebat, ſed etiam odioſam quamdam arrogantiam, ut interdum videretur omnes deſpicere, hominem prae ſe neminem putare. Hi mores multorum ei odium conciliarunt; cumque eo accederet, ut iniquo invidoque animo intuerentur nonnulli praeſtantiam ingenii ac doctrinae, quam conſecutus erat, turbulentiſſimae in illum ſunt excitatae tempeſtates. Quarum omnium turbulentiſſima a Sectano venit homine ſingulari ingenio praedito, qui ſexdecim ſcriptis editiſque ſatyris, Lucilii animam ab inferis evocaſſe videtur, ut Philodemum (hoc nomine Gravinam deſignat) omni crudelitate laceraret. Dici non poteſt, quam per manus virorum ſtatim volitaverint hae ſatyrae, & quod ſcriptae eſſent elegantiſſime, & quod nihil tam eſt volucre, nihilque libentius excipitur, quam maledictum. De quibus ipſis quoniam plura perſequemur in Ludovici Sergardii vita, ad illum locum ſtudioſos Sectani delegamus. Gravina primo viſus eſt non ſatis commoveri animo ad ea, quae in ſe jaciebantur; ſolituſque erat dicere, eſſe labem & ma-

culam ſuorum temporum virtuti invidere & obtrectare; ſed cum illius inimici non ſilerent, ſimulare amplius non potuit graviſſimam ſuam aegritudinem, ad quam levandam ſcripſit declamationes quasdam, ſeu Verrinas in Q. Sectanum, nec non jambos, quibus de ſua vita illi conviciatori reſpondit, eique contumelioſiſſime maledixit. Noluit tamen Gravina haec ſcripta lucem aſpicere, credo, quod intelligebat Sectani ſatyrarum famam illa minime aequatura. Sed aequaſſent licet, non iis tamen indigebat ad obtinendam nominis immortalitatem, quam ei alia multa, eaque graviora ingenii monumenta compararunt; in quibus referendis ordinem ſervabo temporum, quibus illa ſunt edita. Palam dictitabat Gravina, praeclaros mores, & ſanctiſſimam diſciplinam, quam a majoribus Chriſtiani acceperant, pravis opinionibus recentiorum quorumdam, qui ſe *Caſuiſtas* dicunt, corruptam fuiſſe; hos quaſi quoddam junxiſſe conjugium inter rationem bene pieque vivendi & vitiorum illecebras; quapropter de Chriſtiana doctrina actum videri, niſi huic occurreretur malo. Dialogum

itaque conſcripſit, in quo ipſa per ſe loquens Caſuiſtica cum Haereſi declarat quanta Catholicae reipublicae importaverit detrimenta; per quas vias ad illam penetraverit; quos dolos, machinas, fallacias ac praeſtigias adhibuerit, ut purioris pietatis ſplendorem macularet; quanta denique ab ea, quam dicimus, *Probabilitate*, quamque hydrae comparat, habuerit adjumenta, ut robur divinae legis infringeret, hancque ad conſuetudinem voluptatemque hominum accommodaret. Edidit Gravina hunc dialogum ſub Priſci Cenſorini nomine, quod ad effugiendam offenſionem atque indignationem illorum, quos male in ipſo dialogo habuerat, opportunum eſſe putavit. Sed cum minime diu occultari potuiſſet, ferre debuit multorum malevolentiam; hique, ſi non perfecerunt, magno certe ſtudio conati ſunt, ut liber ab iis, quorum poteſtas eſt, devoveretur. Interim Gravina, quo magis nominis ſui famam contra inimicorum invidiam ac contumelias ſuſtineret, magnum & arduum ſuſcepit opus, quo ſibi origines juris civilis explicandas propoſuit. Diu mul-

tumque illud habuit in manibus. Sed ut in diuturno labore gloriam aliquam praeoccuparet, anno MDCXCVI. edidit commentariolum, quod inſcripſit *Specimen priſci juris*, quodque ferme totum compoſuit ex iis rebus, quas in primo Originum libro fuſius tractaverat. Huic commentariolo quinque adjunxit. alia, quibus praeit *Dialogus de lingua Latina* ad Emmanuelem Martinum. In hoc Emmanuel & Proculus diſputantes inducuntur, quantae utilitatis quantaeque voluptatis ſit illam linguam bene ac perfecte tenere; quae ejus fuerint origo, progreſſio ac viciſſitudines; quam arcto foedere cum Graeca jungatur; quam longe multumque ſuperet varietate, numero, gravitate, vi, aliiſque ornamentis Italicam, Gallicam, ceteraſque omnes vulgares linguas; & quibus utendum ſit ſubſidiis, ut ad illius cognitionem facilius perveniatur. Quae vero Auctor praefatus eſt ſatis declarant, quanta is invidia & odio premeretur; & quam magno ſe beneficio obligatum putaret Emmanueli Martino, quod animadverſiones condiderit in Sectani ſatyras, ut praeſertim oſtende-

ret, non pauca eſſe in iis mendoſe & inquinate ſcripta. Sequitur hunc dialogum epiſtola ad Jo. Gabrielem Reginarium *de converſione doctrinarum*, eaque Italiae vicem dolet, quod dejecta de ſummo altiſſimoque gradu, quem ſemper tenuerat in omni doctrinarum genere, quotidie magis in tenebras ruere videretur. Cauſſas quoque praecipuas affert hujus inclinationis; qui viri maxime ſuperioribus temporibus excelluerint, commemorat; fremitque eam eſſe aetatis ſuae iniquitatem, ut non amplius virtuti, ſed maledicto, ſcribendique licentiae pravitatique (his verbis innuere certe voluit Sectani ſatyras) plaudatur. Hiſce Gravinae opuſculis annumerantur epiſtolae breves duae, ſed omnino ponderoſae (ſunt enim graviſſimis ſententiis refertae) quas dedit ad Franciſcum Pignatellium Archiepiſcopum Tarentinum, cujus negotia idem Romae procurabat, & ad Trojanum Miroballum *de contemptu mortis* unam, alteram *de luctu minuendo*. Sextum opuſculum, quod ad Cardinalem Boncompagnum Archiepiſcopum Bononienſem Gravina miſit, rationem

aperit, quam veteres in ſingendis fabulis ſecuti ſunt; docet, quanta vis ſit in his ad inſtruendos homines ad omne officii munus animique motus commovendos; quantaque in ipſis ſint incluſa ſapientiae ſemina. Harum rerum occaſione plurima, eaque utiliſſima dat praecepta de arte poetica; unde & a quibus diverſa poeſis genera ſint orta recenſet; conferenſque virtutes poetarum Graecorum ac Latinorum, qui maxime in ſingulis generibus praeſtent, diligenter perpendit ac judicat. Cui opuſculo magna quidem ab intelligentibus viris data ſunt praeconia; nec illud fuit ad laudem mediocre, quod Joſephus Rignoldus Gallus in ſermonem patrium verterit ex Italico. Diligentem inveſtigationem antiquitatis, in eo quod pertinet ad theogoniam, ceteraſque mythologiae partes, fatetur Gravina pergratam occupationem habuiſſe, & mirabilis utilitatis fructum ſibi praebuiſſe ad noſcendam diſciplinam ſcientiamque magnarum rerum atque artium, ac praeſertim eloquentiae, quae priſcis viguerunt temporibus. De quibus rebus longum opus texendi olim co-

gitationem ſuſcepit; ſed hanc abjicere eum coegit infinitus prope labor, quem in concinnandis ſuis de Origine juris libris conſumebat. Acceſſit eo, quod an. MDCXCVIII. commendatione Cardinalis Joannis Franciſci Albanii ab Innocentio XII. delatum eſt illi munus docendi in Archigymnaſio Romano jus civile; quod quidem munus multum poſcebat operae & temporis. Etenim Gravina minime imitari volebat exemplum illorum, qui jejune & exiliter quaedam legum capita, judiciorumque formulas explicant, quique litigandi magis, quam juſtitiae tradere videntur vias; ſed recludere ſibi fontes propoſuit, unde univerſi juris, ac legum ortus, natura ac diſciplina emanant. Itaque poſtquam ex inſtituto majorum ea dictaverat auditoribus ſuis, quae magis ſunt in uſu forenſi neceſſaria, quaeque in anguſtum locum concludunt permulta, quae ſunt deſcripta Romanis legibus & jure civili, eoſdem modo in Lycei ambulationibus, modo in Academiae ſpatiis, modo in Zenonis porticu exercebat; ſed praeſertim ad veteres hiſtoricos, oratores & grammaticos

ducebat, jubens ipſos ſedulo undecumque omnia colligere, quibus juris prudentia fieri poſſet inſtructior & ornatior. Haec docendi ratio incurrit in odia & voculas multorum, quibus ſocordia erat pro diligentia, quibuſque idem eſſe videbatur multum ſapere & multum audere, multumque in foro clamare, dum lucrari poſſent. Adverſus hos nebulones, ſordidosque juris prudentiae mercatores totos dies domi & in ludo invehebatur Janus Vincentius; ac ſaepe illud in ore habebat, ſi a juris prudentia lumen Latinarum & Graecarum litterarum auferretur, neceſſe eſſe, ut omnia denſiſſimis ignorantiae tenebris ſepulta atque obruta tenerentur. Nec juris prudentiae ſolum, ſed & ceterarum diſciplinarum bonarumque artium cauſſam egit in multis, quas in inſtauratione ſtudiorum habuit, orationibus ad amatores ſapientiae. Quae quidem orationes, quanquam non ita ſaepe diſtinguantur eloquentiae luminibus, neque ita libere fluant, ut nunquam adhaereſcas, redundant tamen omni eruditionis genere, ſapientiſſimis philoſophorum ſententiis & ſaluberrimis prae-

ceptis, quae ad ſtudiorum vitaeque iter recte gubernandum pertinent. Libenter quidem delaberer ad haec commemoranda; ſed nolo eſſe longus, praeſertim cum ad alia properem. Itaque praecipua atque utiliora tantummodo attigero, & medebor cum ſatietati, tum deſiderio lectorum. Et quoniam ille totam rationem ſtudiorum, quam probabat, interrupte ac diviſe pluribus orationibus eſt amplexus, de ea ſcribam continenter, neque tam ordinem ſequar ſcriptorum ejus, quam ſervabo meum. Principio cavendum eſſe ait, ne ingredientes ſtadium litterarum diu cum grammaticis verſentur, ſed curandum, ut quanto citius fieri poteſt, ducantur ad exercitationes Ludovici Vives, Phaedri fabulas & Terentii comoedias. Exerceantur poſtea in lectione metamorphoſeon Ovidii; hiſtoriarum Juſtini & Livianae epitomes, ut eodem tempore cognoſcant quidquid veri ac ficti habeat antiquitas. Quo cognito, tum iis tradendus eſt Cicero, ceterique aureae aetatis ſcriptores. Qui Graecis ſtudent litteris, quas ſine piaculo a Latinis ſeparari non poſſe dicebat Gravina, poſtquam ele-

menta quaedam perceperint, adeant Homerum, quem qui norit, non modo poetarum, ſed & oratorum, philoſophorum & hiſtoricorum linguam norit, quod hi omnes ab eo ſumpſerint lumina ſententiarum & dicendi formas. Communiora rhetoricae praecepta e libris ad Herennium petantur. Illudit & damnat Gravina ſpinoſa multa & barbara, quae in dialecticam invecta ſunt. Negat quidquam hanc artem ad inveniendum conferre, eademque nos opus habere ad vera & falſa dijudicanda. Quapropter non multum in illa immorandum, artemque inveniendi, immo ipſam recte judicandi ſcientiam e geometria potius petendam. Studium philoſophiae commendans, quanta huic intulerint Peripatetici detrimenta, oſtendit; illum bene ſcienterque agere, qui diu noctuque habeat in manibus Platonem, cui uni e veteribus philoſophis contigit, ut ſapientiam, veraſque de virtutibus ac de Deo etiam opiniones aſſequi poſſet: nullum bonum eſſe aut oratorem, aut poetam, qui idem non ſit philoſophus; omnium enim bonarum artium procreatricem eſſe & pa-

rentem philoſophiam. Quam facultatem, illam praeſertim, quae de hominum vita & moribus agit, ut & philologiam, ſi quis velit a juris prudentia ſejungere, idem facere videri, ac ſi animam a corpore ſegregaret. Qui juri civili ſtudet, deligat ſibi aliquem legum interpretem, inter quos, tanquam ſolem minora inter ſidera, lucere Cujacium ſaepe inculcabat Gravina; fugiat vero, tanquam peſtem, ſcriptores illos & magiſtros, qui controverſias non legum codicibus, neque rationibus ductis e fontibus juris, ſed auctoritate & aliorum erroribus definiunt; qui congerunt multitudinem ſterilium definitionum atque ineptarum regularum; quique non alium agnoſcentes praeceptorem praeter ſcribam & acutum legulejum, quales ſunt *Ridolphiniſtae*, brevi tempore abſolutam juris prudentiae cognitionem adoleſcentibus impudentiſſimo ore promittunt. Nemo poteſt jus pontificium tenere, qui non ſit juris civilis peritiſſimus; quique illi ſtudio non praeferat, tanquam facem, ſacrorum librorum & hiſtoriae Eccleſiaſticae notitiam. In diſputando has inter ceteras ut ſervarent

regulas diſcipulos ſuos monebat Gravina, ut abhorrerent a ſophiſtarum captionibus; perſpectam veritatem contentionis ſtudio ne oppugnarent; argumentum ſatis exploſum ne regererent; & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati eſſent; contra oppoſitam ſententiam lege aliqua repugnarent, legeſque legibus committerent; & in ſpeciem diſſidentes, abſtruſam ſententiam eruendo, in concordiam redigerent: ſi legum repugnantia nulla eſſet, communes juris regulas opponerent; ſi hae quoque deficerent, tum repeterent vetuſtum jus ex hiſtoriis & morali philoſophia; in forenſibus quaeſtionibus agitandis Accurſianos, & in veris ſenſibus legum eruendis Cujacianos praeferrent. Qui ſtudio legum jus aliis reddere, & alios regere addiſcit, ſcire quoque debet, quod eſt difficilius, jus reddere ipſe ſibi, & ſemetipſum regere. Coerceat igitur virtuti inimicas voluptates; Deum pie, caſte, ac religioſe colat; exerceat ſe in animi & corporis patientia; divitias atque honores contemnat; animi demiſſionem, modeſtiam, manſuetudinem, erga homines caritatem prae-

ſe ferat, harum, aliarumque virtutum exempla petat a Chriſto; hunc cogitet, & ad hujus morem atque doctrinam ſe fingat atque accommodet: caveat ab oſtentatoribus & ſimulatoribus pietatis, & ab iis praeſertim doctoribus, qui corruptis ſaeculi moribus blandientes vim enervánt divinarum legum, videnturque has perducere in poteſtatem ſuam. Satis de Gravinae orationibus dictum erit, ſi hoc adjunxero, illum & reliquiſſe orationem, quam deſtinaverat Petro I. Moſchorum Regi, quem, cum Viennae eſſet, ſama ferebat Romam adventurum. Hoc unum videtur excipere in ſummis illius Principis laudibus, quod Catholicam Romanam religionem minime ſuſcepiſſet, & in ſuum regnum tranſtuliſſet, ſine qua nullam ſanctam ſocietatem nec fidem regni diu eſſe poſſe oſtendit. Docet etiam, quantum Romanae leges conducant ad manſuefaciendos excolendoſque homines, & ad conſtituendam inter eos conjunctionem atque concordiam. Quinto anno poſtquam non magna auditorum frequentia, ſed magna certe doctrina eruditione ac ſermonis elegantia jus civile

docuerat Janus Vincentius, vocatus eſt ad tradendas in eodem Archigymnaſio Inſtitutiones Canonicas; nec multo poſt ei munus impóſitum interpretandi Gratianeum Decretum. Cum jam expertus videret Gravina, haud frenari poſſe adoleſcentes, quin ab Inſtitutionum ſchola quaeſtus cupiditate moti ad forum continuo properent, ut huic malo quantum poſſet mederetur, Inſtitutionum fines proferre ſtatuit. Itaque explicans non ſolum rerum capita, ſed etiam ſeriem, demonſtransque fontes, unde leges fluxerunt, & in omnem aetatem inquirens, ut oculis auditorum ſubjiceret priſcam, mediam ac recentem Eccleſiae diſciplinam, illud efficiebat, ne plane inermes atque imparati in forum ingrederentur, utque haberent ſatis expeditam viam, qua per ſe ad pleniorem & perfectam etiam, ſi vellent, cognitionem pervenirent ſacrorum jurium, conciliorum, ſcriptorumque veterum Patrum. Cum vero e ſuperiore loco deſcendiſſet, interrogantibus aut de pontificio, aut de civili jure copiam ſui faciebat; & ſi quos ardere

vidiſſet

vidiſſet ſtudio humaniorum litterarum, eos domum ſuam invitabat, tanquam ad ludum atque officinam dicendi ſcribendique. Neque his contentus, quo magis juris prudentiae ſtudioſorum utilitati conſuleret, exornandas dilatandaſque ſuſcepit, quas in ſchola de ſcripto dictaverat, utriuſque juris inſtitutiones. Quod quidem opus abſolutum, ſi in lucem hominum exiret, libentiſſime exciperetur, ac laude multum vinceret libellos, quos de iiſdem inſtitutionibus antea ſcripſerat Gravina, ſed breviter ſtrictimque, quoſque alii, illo inſciente nec opinante, in vulgus edidere. Sed jam tempus eſt, ut veniamus ad tres libros de *Originibus Juris Civilis*; qui libri tanta eruditione, doctrina, ſententiarum pondere atque elegantia abundant, ut ii ſoli aeternitatem immortalitatemque Auctori comparare potuiſſent. Et primo quidem libro, expreſſa prius quadam Romanae Reipublicae forma, diſſerit unde ſit orta juris ſcientia; quatenus progreſſa fuerit vel novis legibus, vel prudentum interpretationibus, vel Magiſtratuum edictis, vel Principum ſanctionibus; quamdiu in altiore gra-

du ſteterit ; qua de cauſſa inclinaverit ; & qua ratione demum ſuus ei honos & ſtatus redditus fuerit. Quibus expoſitis, ordine enumerat qui auctores jus conſtituerint, qui rurſus corruperint, qui denique inſtauraverint ; & de ſingulorum ſcriptis, doctrina, ingenio vitaque haud pauca ſcitu digniſſima recenſet. In ſecundo aperit primordia juris naturalis & gentium, eaque, ſecutus Grotium, repetit ab honeſtate naturae, quae eſt divina illa in omnium cordibus inſculpta, inque animis inſcripta lex. Initio libri quaerit qui ſit boni & mali finis, quid natura ſequatur, quid fugiat, unde virtutes & vitia oriantur ; concluditque non poſſe beate vivi, niſi ſapienter, honeſte juſteque vivatur. Poſtquam haec e media ſumpta philoſophia explicavit Gravina, & originem patefecit ſocietatis humanae, contractuum, jurium belli & pacis, civilis poteſtatis, imperii & jurisdictionis, ortum perſequitur legum, quas diverſi antiquitatis populi ſibi ſtatuerunt ; ſed praeſertim immoratur in interpretandis & illuſtrandis, quas habemus, reliquiis juris Papyriani legumque XII. Tabu-

larum. Tali modo proditis originibus pervetuſtis, & quaſi juris prudentiae cunabulis, tranſit in libro tertio ad recentiores, nempe ad leges & Senatus conſulta, quibus priſcum & privatorum praecipue jus aut deficiente ſententia XII. Tabularum augetur, aut temporum ratione aliter poſcente mutatur, aut ubi oſcurum ſit atque perplexum poteſtate totius populi explicatur. Nam quae ad reipublicae adminiſtrationem pertinent, cum jam nullius ſint uſus, vix attigit. Haſce autem ipſas res ſimpliciter & ſplendide tractavit Gravina, uſus oratione continua, tinctaque colore illo & ſucco, quo veterum Latinorum libri ſunt imbuti. Crebras quoque intexuit ſententias; & dum laudat Clementem XI. P. M. in epiſtola, qua opus hoc illi inſcripſit, tantam affert majeſtatem, gravitatem atque eloquentiam, ut verborum prope numerum, ſententiarum numero conſequatur, neſciaſque an quidquam fieri poſſit magnificentius. Quae vero praefatus eſt, tradunt adoleſcentibus viam directam & quaſi compendiariam, qua facile & jucunde ad juris cognitionem perveniant.

Igitur qui ad laudem juris conſulti aſpirat, audiat Gravinam, eique obtemperet; neque unquam e manibus deponat hoſce tres *Originum* libros, qui ſuppeditare ei poterunt abundantiam & copiam omnis eruditionis ac praeſertim Latinae, ſine cujus ſubſidio nemo eſt qui ad forum ſatis inſtructus & ornatus poſſit venire. Vehementer laetatus eſt Gravina, ut pote qui laudis ſtudio maxime trahebatur, quod ſuum opus magnifice celebraverint ſcriptores Actorum eruditorum, Lipſiae, qua in urbe primum an. MDCCVIII. typis impreſſum fuit; quodque horum & aliorum doctorum hominum voce magna illico de ipſo fama ſurrexerit. Scriptores vero Ephemeridum Italiae non ſolum laudarunt, ſed etiam ſextum in volumen ipſarum Ephemeridum intulerunt accuratam ejuſdem epitomen, quam contexuerat Scipio Maffejus. Inter multa ac praeclara, quae de hoc ipſo opere facta ſunt judicia ab intelligentibus viris, illud graviſſimum reputari debet, quod prae ſe tulit in epiſtola ad Gravinam homo certe diſciplina juris civilis eruditiſſimus Joſephus Averanius. Quam plena ma-

nu, quam ingenue, quam ornate illud in aſtra extulit! Neque ejus laudes quicquam imminuere putavit, quod Auctor in eodem conficiendo multa ſumpſerit, & ſi vis, etiam ſurripuerit a Cujacio, Gothofredo, Manutio & Sigonio. In tanta laetitia, quam ex ſuorum laborum praeconio percipiebat Gravina, id dolere unice videbatur, quod Lipſienſes typographi praeclarum volumen plurimis iiſque graviſſimis mendis commaculaſſent. Cui malo ut occurreret, egit cum Neapolitanis typographis, ut idem recudendum ſuſciperent. Quod facile obtinuit. Igitur anno MDCCXIII. Neapoli iterum ſunt editi *Originum* libri, cui editioni ſane caſtiſſimae maximum acceſſit ornamentum a libro *de Romano Imperio*, quem digniſſimum judicavit Gravina, ut ad tres ſuperiores adjungeretur. Hoc judicium comprobarunt docti omnes; nec defuerunt qui dicerent, Gravinam *Originum* libris ceteros omnes ſuperaſſe, qui juris civilis ortum tractarunt; ſcripto vero *de Imperio Romano* libro ipſum a ſe ſe ſuperatum. Juſtis de cauſſis imperium cunctarum gentium acquiſiiſſe Romanos de-

monſtrat, neque imperii conſtitutionem ſuſtuliſſe Reipublicae ſtatum, ſed hujus regimen perrexiſſe lento progreſſu a vi & poteſtate Regis ad Populum, a Populo ad Senatum, a Senatu ad unum non Regem, ſed Principem, quaſi in Republica & Senatu primum, qui nec Populi, nec Senatus jus omne ſibi vindicaret, ſed cum eo partiretur & ab eo mutuaretur. Haud pauca exponit de praecipuis Romanae Reipublicae Magiſtratibus ac de Senatus auctoritate, quae ſunt veluti fontes, unde jus imperatorium dimanat. Hoc a regio multum differre dicit, quod regium omnem poteſtatem, ex qua procedit, exhauriat, cum imperatorium tantummodo partem aliquam in ſe traducat. Extitit tamen Tribonianus, qui aſſentandi ſtudio legem extulit neſcio quam regiam, quaſi natam ex inſtitutis Romanorum, per quam omne jus omnemque poteſtatem Populi Senatuſque Romani in Imperatores translatam eſſe contendebat. Hanc legem ſic examinat Gravina, ut non ſolum Tribonianum aſſentationis reum convincat, ſed etiam ex eadem lege graviſſima argumenta ducat ad amovendam ab Im-

peratoribus regiam poteſtatem, retinendaque jura Populi ac Senatus Romani. Poſtquam poteſtatem civilem a S. P. Q. R. manaſſe oſtendit, comprobat ex eodem fonte manare militarem quoque, neque jura civitatis unquam in caſtra tranſiſſe, aut tranſire potuiſſe. Ex quo colligit a militibus Senatui minime ademptum fuiſſe jus imperii ſive creandi ſive regendi; & in illis militaribus Imperatorum creationibus legitime factum fuiſſe nihil, niſi quatenus auctoritas Reipublicae acceſſiſſet. Quae auctoritas veluti ſua in ſede Romae conſiſtens non potuit a Conſtantino Byzantium transferri. Quapropter licet ille aequaverit Romae hanc urbem moribus, inſtitutis, aedificiis, magiſtratibus, contrahendi ratione ac muneribus, non aequavit certe poteſtate; & quae ibidem agitabantur ac definiebantur negotia publica, non ex civitatis curiaeve Conſtantinopolitanae, ſed ex Populi Senatuſque Romani juribus deſcendebant; quae jura cum Principe communicata ſola poterant imperium conſtituere ac conſervare. Haec ferme ſumma eſt earum rerum, quas in opere *de Romano Im-*

perio Gravina tractavit. Hoc ſecutum eſt aliud opus *de Romano Imperio Germanorum*, quo nihil ſcripſiſſe ſe ajebat, quod ad publicas eorum temporum controverſias referret pluris; eaque arte, diligentia atque cautione contexuiſſe, ut veritatis ac partium offenſionem una vitaret. Sed cum ab Emmanuele Martino homine in primis docto & prudenti requiſiiſſet, quid ſibi videretur, tuliſſetque reſponſum, certum in periculum ſe committere, ſi ea in apertum referret quae nonnulli Principes, bello pene tota Europa flagrante, occulta ac penitus abdita maluiſſent, omnem vulgandi operis cogitationem abjecit. Eodem anno, quo primum exiere *Origenes Juris Civilis*, edidit quoque duos libros, nuncupatos nobiliſſimae eruditiſſimaeque feminae Colbertinae Principi Carpineae, quos *della Ragion poetica* inſcripſit. In his libris voluit Gravina delineare formam perfecti poetae, atque fontes aperire, unde poeticae artis praecepta ſcriptaque inſigniorum poetarum derivantur. Secutus Ariſtotelem poeſin ex imitatione natam eſſe judicat, hancque totam in eo verſari, ut verum ſic

imitetur ac fingat, ut illud ponat in conſpectu animi. Ex hac imitatione quaſi in plura membra diviſa, multas in species eadem abiit, atque ita poetae dicti ſunt alii Epici, alii Tragici, alii Comici, alii Lyrici, alii Melici, alii alio nomine; nam pro cujuſque natura & moribus imitandi ſtudium proferebatur. De illuſtrioribus autem poetis, qui in ſingulis poeſis ſpeciebus excelluerunt, a Graecis incipiens per Latinos gradiens, & in Italos deſinens tam ſcite ac litterate judicat, ut, hoc judicio duce, quilibet poſſit ſibi ex eorum lectione acquirere cognitionem non ſolum verborum, ſed etiam rerum, ex quibus poeſis conſtare debet. Unum inter omnes eminere Homerum ait; atque enumerat quae ſint in ejus poematibus virtutes, quam admirabilis compoſitio fabularum, quanta praecepta ad reipublicae vitaeque privatae rationes gubernandas, quam evidens deſcriptio hominum, naturarum, morum, & affectuum, omniumque pene rerum, quibus hic mundus univerſus variatur, ut in tot tantiſque deſcriptionibus divina prudentia appareat. Jure igitur a ve-

teribus quibusdam Homerica poemata appellata fuiſſe contendit humanae vitae ſpeculum, & univerſae rerum naturae imaginem, de quibus poematibus mentem ſuam fuſius explicare peculiari libro ſibi propoſuerat, ſed opus vix inchoatum e manibus depoſuit. Homero proximum accedere ait Dantem non dicendi genere, ſed ſcientia, copia, dignitate atque evidentia. Hunc non modo poeſis, ſed etiam Italicae linguae parentem appellat, quarum originem, progreſſionem mutationeſque diligentiſſime perſequitur ſecundo libro. Nec quidquam omnino huic operi deeſſe videtur, praeter unam perſpicuitatem, quod brevi magnarum ac multiplicium rerum comprehenſioni in primis tribuendum eſt. Hoc idem opus cum ſaepe nominare contigiſſet Mario Creſcimbenio in ſua hiſtoria Italicae poeſis, aliquid ſemper de ipſius Auctoris laudibus praedicavit, quod judicium plurimi faciendum eſt, quia prolatum ab homine harum rerum intelligente, & in Gravinam non optime animato. Hoc etiam ad ejusdem operis laudem pertinet, quod non defuere qui illud Gallicam in lin-

guam verterint, ac Pariſiis edi curaverint anno MDCCLIV. De poeſi diſſeruit etiam in epiſtola Latina ad Scipionem Maffejum, notans quando coeperit tum apud Graecos, tum apud Latinos; quid utriſque illam commendaverit; quantum inter ſe hi populi ſtudiis, moribus, vitaeque ratione differrent, qua in differentia totum diſcrimen, quod eſt inter Homerum & Virgilium, poſitum putat. Nonnulla etiam attigit de numero & elocutione poetica, libereque mordet tum eos, qui furere atque inſanire videntur, dum novas ſequi volunt dicendi ac cogitandi vias, tum eos, qui ad vulgaria praecepta quaedam & ad Petrarcham, tanquam ad ſaxum, adhaereſcunt; illos demum ait videri ſibi optime de Italica poeſi mereri, qui ſenſus, modos coloreſque mirificos Latinorum ac praeſertim Graecorum ad eam traducunt. Cujus rei voluit ſe ipſum exemplum proponere. Nam quinque condidit tragoedias (condidit autem, ſi verum dixit, tribus menſibus) in quibus expreſſit ſuccum & ſanguinem Sophoclis & Euripidis, medium tamen quiddam inter brevitatem u-

nius & copiam alterius tenens. His tragoediis nomina impoſuit, *il Palamede*, *l' Andromeda*, *l' Appio Claudio*, *il Papiniano*, *il Servio Tullio*, quarum in prima & ſecunda heroica tempora, in reliquis regium, conſulare, & militare imperium veterum Romanorum, horumque mores repraeſentavit. Sed, ut ipſe ad Martinum ſcripſit (1), voluit non tam antiquitati ſervire, quam aetatis ſuae mores carpere, vivos ſub mortuorum perſonis in ſcenam ſaepe producens. Multum tamen intereſſe putavit, ne quid ſcenae committeret, quod non eſſet in hominum uſu & natura & conſonum conditio-

(1) *Haec Gravina in epiſt. dat. Romae Kal. Dec. 1716.* Tuum de tragoediis meis judicium expecto cupidiſſime, neque enim arbitror ad earum examen te ſcholam conſulturum Lopenſem & Chalderonicam, aut inde ſcatentem Cornelianam (*vide hominis moroſitatem*). Gallorum, ſed Atticam & Sophocleam, qualem te decet eruditiſſimum Hiſpanorum; praeſtaret enim nullas attigiſſe litteras, quam has peperiſſe noſtratium theatrorum peſtes. Quem horum temporum furorem caſtigavimus; & rationibus atque exemplis veterum profligavimus in vernaculo tractatu de tragoedia recenter edito . . . Tragoediis autem illis ſi aliquam

ni, aetati, ſexui, inſtituto & nationi dicentis. Imitatus Euripidem ornavit has fabulas copia graviſſimarum ſententiarum, ut ex his Principes praeſertim viri pararent ſibi optimam & pulcherrimam vitae, ut ita dicam, ſupellectilem: Uſus eſt oratione, quae nec ſubmiſſionem, nec elationem haberet; & propter ſimilitudinem veritatis abſtinuit a verſu ſimiliter deſinente, adhibuitque hendecaſyllabum, & interdum etiam duodecaſyllabum, quod non raro accidat, ut ipſi natura incurrant in orationem (quemadmodum jambi olim apud Latinos) ſermonemque quotidianum. Has aliaſque virtutes extollebant amici Gravinae: ſed inimici aut elevabant, aut iis vitia multa opponebant, atque illa in primis, quod non

tibi attulimus voluptatem abſenti, longe majorem caperes praeſens, dum vivos ſub mortuorum perſona in ſcenam prodeuntes, & res praeſentes ſub veteribus latitantes videres, ut mos eſt ejuſmodi poematum allegoricorum, quae mores aetatis ſuae nominibus carpunt alienis. Quo ſine ſapore atque humanae vitae documento, quorſum poeſeos, artis alioqui laborioſiſſimae ſtudium?

ſatis ſenſus ac motus eae ſabulae haberent, quod versus non libere fluerent, quod raro apte & numeroſe caderent ſententiae, quodque ſaepe poeta tranſiſſet lecta & illuſtria verba, ut ſumeret inuſitata, & ea, quae novavit, & fecit ipſe. Haec indignabatur Janus Vincentius, dicebatque audacter & aperte, qui ea reprehenderent, illis tenebras eſſe; quae maxime tragoedias ſuas ornabant longiſſime eſſe ab imperitorum intelligentia ſenſuque disjuncta; nihil iis ſe ſcripſiſſe egregius, ſeque ipſum poſſe praedicare quaſi unum hominem, qui Italiae reſtituerit hoc poeſis genus. Sunt & alia, de quibus intollerantiſſime ſe jactat in ipſarum tragoediarum prologo; cumque aliquando eum ſcribentem offendiſſet Joannes Baptiſta de Miro vir ipſi multis nominibus, ſed praeſertim doctrina, amiciſſimus, interrogaviſſetque, qua in re eſſet occupatus; *in reddendis*, inquit ille, *Latine tragoediis meis, ut judicare poſſint exteri, qui ſine amore, ſine odio & ſine invidia judicant, nihil unquam fuiſſe in hoc genere elaboratum, quod tam proxime accedat ad Graeca exemplaria.* Id ut facilius cognoſce-

rent homines, librum confecit, qui omnem antiquorum & Sophocleam & Euripideam condendae tragoediae rationem complectitur, quique non ſolum praecepta artis tradit, ſed de ipſis etiam praeceptis judicat. Judicat etiam quam a norma & regula a Graecis relicta aberraverint, uno excepto Gravina, conſequentes omnes tragici, quos ſi quis proponit ſibi ad imitandum, idem facere videri ac ſi, inventis frugibus, glande veſci velit. Profecto nemo ſatis admirari poteſt magnitudinem cognitionis atque artis, quae in hoc libro elucet. Quapropter jure gloriari potuit Gravina, hoc aliiſque de poeſi libris magnum ſe attuliſſe adjumentum hominibus ſuis, ut non modo Graecarum litterarum rudes, ſed etiam docti plurimum ſe arbitrarentur adeptos & ad ſcribendum & ad judicandum. Quibus libris ſi fuiſſet contentus, neque repugnantem naturam vincere contendiſſet in ſcribendis carminibus, melius quidem nominis ſui gloriae conſuluiſſet. Poterat enim ſapientem illum imitari, qui ad poeſin invitanti reſpondit: *ea re*

poemata non facio, quia cujuſmodi volo, non poſſum, cujuſmodi poſſum, nolo. Sunt in manibus hominum tres Italicae eclogae, alias vidi ego ineditas, ut & lyrica quaedam apud virum humanioribus litteris politiſſimum Petrum Antonium Seraſſium, ex quibus intelligi poteſt tantum Gravinam abundaſſe doctrina & arte ad poeſin, quantum natura deſtituebatur. Sed incredibile eſt, quantum ſe cum Muſis delectaret, quantumque ab iis reportaret levaminis, quo facilius magnos ſuſtineret labores, quos in doctrinarum ſtudia inſumebat. Cum cogitaſſet multum intereſſe ad laudem ſuam utilitatemque juris prudentiae ſtudioſorum, ut qui tribus libris ortum, & progreſſus juris civilis patefecerat atque illuſtraverat, totidem quoque juris pontificii origines aperiret, in hanc curam toto animo incubuit. Sed dolendum eſt, magnum & artificioſum opus illum perficere non potuiſſe; aut jam perfectum in occulto latere. Sunt & alia multa praeclara, quae Gravina aut inchoata, aut propè jam abſoluta, aut plane perfecta

ſecta reliquit, de quibus ſingillatim perſcriberemus, ſi ea nobis videre contigiſſet. Poſſem & pauca alia proferre, quae jam ſunt edita, ſed ea miſſa facio, quod tanti non ſint, ut diutius in referendis ſcriptis Gravinae morari debeamus. Habebat hic, ut initio docuimus, magna propinquitate conjunctum Gregorium Caropreſium probum ac doctum virum, quem devinctus magnis illius beneficiis ſic ſemper obſervavit & coluit ut alterum parentem. Quo facto tulit pietatis fructum. Caropreſius enim moriens Scaleae anno MDCCXIV. eumdem heredem fecit ex aſſe. Volens itaque Janus Vincentius non modo rei familiari ſuae, ſed etiam valetudini conſulere (nam viſcerum doloribus hoc maxime tempore afflictabatur, quibus aut remedium, aut allevamentum allaturam ſperabat patrii caeli aſpirationem) ad Brutios remigravit, & apud eos duobus circiter annis remanſit. Quo tempore magnas attulit utilitates Provincialibus ſuis. Eos enim cohortari non deſinebat ad praeclara ſtudia, iiſque commonſtrabat vias, quibus

ad id, quod volebant, facile pervenirent. Ex quo factum eſt, ut huic omnes honores, quos poſſent, haberent, eumque quaſi alterum Pythagoram ſuſpicerent ac praedicarent. Nemo enim ignorat, regnante Tarquinio Superbo, hunc philoſophum illas regiones tenuiſſe, & privatim & publice praeſtantiſſimis & inſtitutis & artibus exornaviſſe. Magnam vero delectationem capiebat Gravina, dum inviſeret loca illa, in quibus accipiebat eumdem philoſophum fuiſſe verſatum, eaque non ſolum Pythagorae memoriam ſibi attuliſſe dicebat, ſed eumdem quoque in conſpectu ſuo poſuiſſe, ac ſibi viſum fuiſſe audire docentem. Romam rediit, opinor, an. MDCCXVI., quo tempore cum honeſtiſſimis conditionibus invitaretur a celeberrimis Germaniae Academiis ad docendum jus civile, utens excuſatione valetudinis ac longinquitatis locorum ire recuſavit. Non multo poſt autem cum valde liberaliter ipſum invitaſſet Victorius quoque Amedeus Sabaudiae Dux, conditionem libentiſſime accepit. Videbat enim ſe in Taurinenſi lyceo non

unius modo juris prudentiae doctorem, ſed & cunctorum ſtudiorum moderatorem fore. Nam vel antea eidem Duci placuerat in inſtituendo illo lyceo, condendiſque legibus, quae ad ſtudiorum rationem gubernandam pertinerent, multa praeſcribere de ſententia Gravinae. Hic igitur cum exeunte anno MDCCXVII. iter Taurinum pararet, tanta vi correptus eſt ſtomachi dolorum, ut tempus profectionis differre coactus fuerit. Sperabat tamen ſe brevi convaliturum, cum in abſtinentia a cibo antea fere ſemper remedium his ſuis incommodis habuiſſet. Et quidem cum per aliquot dies nihil aut parum admodum cibi ſumpſiſſet, adeo levatus eſt, ut die S. Joanni Apoſtolo ſeſto domo exire, & in proximo templo, quod vocant *del Suffragio*, Sacro adeſſe potuerit. Sed ineunte Januario, iterum graviſſimis doloribus tentatus eſt, exaeſtuanſque internis caloribus atram demum bilem evomuit. Id accidit quarta circiter hora ante lucem poſtrid. non. Januarii; cumque ad opem aegrotantis accurriſſet Petrus Metaſtaſius advocatus a

Leopoldo fratre, quocum ita partiebatur officia in magiſtrum & contubernalem, ut illius lectulo unus alterve aſſideret, invenit ipſum non ſolum viribus, ſed etiam ſenſibus carentem; neque multo poſt, prima ſcilicet luce, ipſum efflantem animam vidit. Elatus eſt ſine ulla pompa funeris, ſepultúſque in Aedicula, cui nomen *S. Blaſii della Pagnotta*. Idem ſua manu breve conſcripſit teſtamentum, cujus hoc eſt exemplum.

Quod Deus bene vertat.

J. Vincentius Gravina ita teſtor. Annam Lombardam matrem meam haeredem inſtituo in bonis, quae habeo in Conſentina Provincia Brutiorum, quos Calabros vocant: in bonis vero meis aliis omnibus haeredem inſtituo Petrum Trapaſſum, alias Metaſtaſium Romanum, adoleſcentem egregium, alumnum meum, cui ſive ante, ſive poſt aditam haereditatem meam quandocumque decedenti ſubſtituo Julianum Pierſanctem, Laurentium Gorum, Horatium Blanchum, vernacule Bianchi, diſcipulos meos cariſſimos.

Corpus meum, antequam terrae reddatur, cultro diſſectum, balſamoque de more perunctum volo.

Dominicanae familiae Patribus pro celebratione Miſſarum ad peccatorum meorum expiationem dantor ſemel, h. e. una ſolummodo vice, argentea ſcuta Romana triginta, decem juliorum in ſingula ſcuta; quae ſimul cum ſumptibus funeris, parce quidem ac moderate, a Petro Metaſtaſio ſive Trapaſſo perſolvuntor. Nonis Aprilis ann. MDCCXV.

Ego idem J. Vincentius Gravina.

At Gravina non ſolum bonorum, ſed & doctrinae heredem reliquit Metaſtaſium. Hunc enim cum vel a prima pueritia in domum ſuam recepiſſet (recipiendi autem cauſſa fuit juvenem e lapicida natum, qui aurifici operam ſuam locaverat, facilitas Italica carmina ex tempore fundendi) ita bonis artibus & diſciplinis inſtituerat, ut nemo dubitaret talem illum futurum poetam, qualem omnes poſtea cognitum judicarunt. Neque ſua inſtitutione contentus duxit quo-

que ipſum aliquando ad Gregorium Caropreſium, ut apud eum in philoſophia magis magisque exerceretur, quod ei erat perſuaſum inter philoſophiam & poeſin arctiſſimam cognationem intercedere. Fuerunt praeterea plurimi alii nobiles diſcipuli Gravinae, quos ſingulos nominare longum eſſet. Illud ſatis fuerit dixiſſe, eorum alios excelluiſſe in juris prudentia, alios in oratoria, alios in cognitione antiquitatis, alios in philoſophia, alios in diſſimilibus poeſis generibus, quod eſt ſignum, eumdem vidiſſe quo ſua quemque ferret natura, ad eamque inſtitutionem ſuam accommodaſſe. Fructum vero ingenii & doctrinae omniſque praeſtantiae tum maximum ſe capere dicebat, cum in proximum quemque conferret. Neque magis diſcipulorum, quam amicorum nobilitate ac frequentia floruit; e quibus praeſertim dilexit Emmanuelem Martinum, Henricum Brenckmannum, Joannem Georgium Graevium, Henricum Huyſsenium; e noſtratibus vero Joannem Juſtum Ciampinium, Raphaelem Fabrettum, Joannem Baptiſtam de Miro, Lau-

rentium Magalottum, Franciſcum Blanchinium, Joſephum Averanium, Antonium Magliabechium, Joannem Mariam Lanciſium & Scipionem Maffejum. Acceptus quoque fuit Pontificibus Maximis Innocentio XII. & Clementi XI., nec non ampliſſimis Cardinalibus Hieronymo Caſanatae, Thomae Turnonio, Gaſpari Carpineo, Franciſco Pignatellio & Laurentio Corſinio. Quos ſummos viros dum obſervaret, nemo poterat ſuſpicari eum quidquam ad utilitatem ſuam ſpemque amplificandae fortunae referre. Odit enim ſemper ſordidum illud hominum genus, qui habent amicitiam & gratiam quaeſtui, ac ſaepe dicebat miſerrimam omnino eſſe ambitionem honorumque contentionem; ſeque idcirco beatum putare, quod rebus ſuis contentus nihil quaereret, nihil appeteret, nihil optaret amplius. Nemo illo magis ab adulatione & blanditia averſus fuit; & in hoc maxime gloriari videbatur, quod libere & aſpere reprehenderet quae reprehenſione digna eſſe ſibi viderentur. Vel potentiorum ineptias, quae Romae degenti devo-

randae ſunt, non ferebat, atque iracundius reſpuebat ſive moroſe, ut putabatur, ſive ingenuo liberoque faſtidio. Ipſe tamen & objurgari & moneri moleſte ferebat; & ſi qua offenſiuncula facta eſſet animi ſui, vix ignoſcebat. Hoc quoque in amicitia peccavit, quod eſſet ſuſpicioſus, & facile exiſtimaret aliquid ab amico eſſe violatum. Primo aſpectu triſtis & ſeverus erat; poſt autem ad comitatem facilitatemque proclivis eſſe videbatur; & in congreſſionibus familiarium hilaritati quoque interdum indulgebat. De ejus in Deum pietate dubito quemadmodum exponam. Profecto ſi ejus ſcripta dictaque expendere volumus, praeclara omnia atque egregia illum de religione ſenſiſſe fateri oportet. Nihilo tamen minus in hac officii parte graviſſime accuſatus eſt a multis ſive ſuſpicione, ſive conjectura, ſive, quod probabilius eſt, malevolentia. Extremo, quo aegrotavit, morbo bis peccata ſua, quod ad defenſionem illius plurimum pertinet, Sacerdoti aperuit. Sacro quoque omnibus ferme diebus intereſſe conſueverat. Tan-

ta induſtria fuit, ut eum ſe perdidiſſe diem arbitraretur, quo non ad duodecim aut ſaltem ad decem horas ſtudiis ſuis vacaſſet. Quare haud eſt mirandum, ſi tantam magnarum rerum atque artium ſcientiam eſt conſecutus, ut aequi & intelligentes judices neſcire ſe faterentur, an urbs Roma nullo non tempore eruditiſſimis hominibus liberaliſſimiſque ſtudiis affluens, Gravinae aetate parem illius habuerit ullum. Neque cum optime ille ſciret, contempſit artem faciendae & poliendae Latinae orationis. Latinam enim linguam praeſertim amavit, eaque in primis uſus eſt, quod Italico ſermone locupletiorem eſſe dicebat, & quod ex ea majorem gloriae fructum putabat ſe percipere poſſe, quia Latina leguntur in omnibus fere gentibus. Non multa igitur ſcripſit Italice, & haec minime ornavit colore illo, in quo Etruſcae urbanitatis & dulcis perſpicuique ſermonis imaginem poſſis agnoſcere. Etſi autem ſtatuam bene ſcripſiſſe Latine Gravinam, nolim tamen cum quibusdam affirmare, fuiſſe illum & politiſſimum

& perfectum ſcriptorem. Videtur enim mihi deeſſe ejus ſcriptis feſtivum quoddam & ſolutum & effluens orationis genus, nec profecto ſemper hauſit ille ex aureae aetatis ſcriptoribus verba dicendique modos, quod ad perfecte Latine ſcribendum maxime conducere videtur. Nam cùm diverſarum aetatum ſcripta multum diuque legerit, contriverit, edidicerit, concoxerit, & rerum plurimarum cognitione pectus oneraverit, componere jam per ſe aliquid poſſe putabat. Quapropter ridebat tum illos, qui ſtilum quaſi panem fruſtillatim mendicant, quod iis niſi liber praeſto ſit, ex quo aliquid excerpant, tria verba jungere non poſſunt, tum illos, qui unum attoniti contemplantes, quem imitentur ſcriptorem, quamvis elegantiſſimum, impetum quodammodo retardant ingenii ſui, carentque propterea in iis, quae chartis mandant, viribus & vita, carent affectu & motu, carent indole, atque jacere, dormire, & ſtertere videntur. Haec ſatis quidem ſunt ad immortalitatem hominis, qui major etiam habitus eſt iis, quibus vixit,

temporibus, quamvis incurrerit nimium propriae gloriae cupidus & alienae invidus in multorum calumnias reprehenſioneſque. Statura fuit procera, corpore gracili, ore macilento & pallido, lataque fronte; oculos habuit caeſios & diſtortos, tempora concava, naſum acutum: ſed quae natura dedit corporis vitia homo philoſophus contempſit, cum aliam nullam quaereret laudem praeter ſolidam veramque illam, quae ex animi ingeniique bonis colligitur.

OPERA EDITA.

Omnium copioſiſſima editio operum Jani Vincentii Gravinae eſt illa, quam Neapoli curavit Joannes Antonius Sergius an. 1756. & 1758. Haec diſtinguitur tria in volumina in 4. Extant

In I. *Originum Juris Civilis libri tres*.

In II. *De Romano Imperio liber ſingularis*.

Specimen priſci Juris.

Oratio pro Romanis legibus ad magnum Moſchorum Regem.

---- *de Juris prudentia ad ſuos Juris civilis auditores*.

---- *de Canone Interiori ad ſuos Juris Pontificii auditores*.

---- *de recta in Jure diſputandi ratione*.

---- *de repetendis fontibus doctrinarum*.

---- *de inſtauratione ſtudiorum ad Clementem XI. P. M.*

---- *in auſpicatione ſtudiorum de ſapientia univerſa*.

---- *pro legibus Arcadum*.

Canones diſputandi.

Leges Arcadum.

De lingua Latina Dialogus ad Emmanuelem Martinum.

De converſione doctrinarum ad J. Gabrielem Reginerium.

De contemptu mortis ad Franciſcum Pignatellum Tarentinum Archiepiſcopum.

De luctu minuendo ad Trojanum Miroballum.

Hydra miſtica, ſive de corrupta morali doctrina dialogus.

Acta Conſiſtorialia creationis Cardinalium inſtitutae a Clem. XI. P. M. diebus 17. Maii & 7. Junii An. Sal. 1706.

De foedere pietatis & doctrinae oratio ad ſuos Gratianei Decreti auditores.

De diſciplina Poetarum ad Scipionem Maffejum Marchionem.

Jambi ad Paullum Doriam, & quaedam Dedicationes.

Receptioris Juris ſpecimen.

Encyclica Epiſtola nomine Cardinalis Franciſci Pignattelli, cum Neapolis Archiep. eſſet renuntiatus.

Teſtamentum Gravinae.

Inſtitut. Juris civilis receptioris, libri quatuor.

Diſſertatio de cenſura Romanorum.

Inſtitutionum Juris Pontificii libri tres.

In III. *Una Lettera del Sergio, in cui dà giudizio di ciaſcun' opera del Gravina dopo d' aver premeſſe alcune notizie della di lui vita.*

Di Giovanni Vincenzo Gravina della Ragion Poetica libri due a Madama Colbert Principeſſa di Carpegna.

Della Tragedia libro uno al Principe Eugenio di Savoja.

Di Gio. Vincenzo Gravina Giuriſconſulto tragedie cinque, cioè

—— *Il Palamede.*

.... *L'Andromeda.*

.... *L'Appio Claudio.*

.... *Il Papiniano.*

.... *Il Servio Tullio.*

Dell' Antiche Favole Diſcorſo di Gianvincenzo Gravina al Card. Buoncompagni.

Regolamento degli ſtudj di nobile e valoroſa Donna all' Eccellentiſſima Signora Principeſſa Santacroce.

Ragiona. ſopra l' Endimione componimento Drammatico di Aleſſandro Guidi.

Della diviſione d' Arcadia al Sig. Marcheſe Maffei.

Egloghe tre.

Epiſtolae Latinae familiares V.

Optaſſem indicem quoque ſubtexere operum Gravinae, quae minime in vulgus ſunt edita. De quibus operibus cum per litteras requiſiviſſem virum amiciſſimum Petrum Metaſtaſium, hoc ab eo reſponſum tuli. *Mancano i materiali per l' Indice da lei deſiderato. I manoſcritti, che eſiſtono, ſono qualche autografo inintelligibile di coſe già pubblicate, o di pochiſſime altre incominciate per paſſatempo, e per lo più non finite, avendole giudicate l' Autore medeſimo non eguali all' aſpettazione dell' illuſtre ſuo nome. Può darſi che vi foſſe di più. Ma pochi iſtanti dopo d' aver egli ceſſato di vivere, tutti gli ſcritti ſuoi furono richieſti e ritenuti per qualche tempo da chi aveva legittima autorità di farlo, e reſi poi quanti e quali ſono al preſente. Sicchè io credo che queſto articolo debba nell' opera ſua eſſere affatto traſcurato.*

Angelus Fabronius

Carolo Innocentio Frugonio

S. P. D.

An tandem? Inſanire tibi videor, quod in propoſito ſuſceptaque opera permaneam ſcribendi vitas Italorum doctrina excellentium? Tum inſanirem, ſi quod mihi publicae utilitatis amor impoſuit, propter ignaviam aut propter animi infirmitatem abjicerem. Scio te non hoc ſcriptionis genus improbare, ſi veritati ſerviatur. Hoc negas praeſtari poſſe ab eo, qui non fuerit in intimis illius, de quo ſcribendum ſuſcepit. Hinc te optare, ut Biographos habeamus vernas, aut ſaltem quotidianos ac domeſticos convictores, qui totam vitam, naturam moreſque illorum, de quibus ſcire volumus, cognoverint. Pace tua dixerim, amicorum ſuaviſſime, magna nimis ab Hiſtorico requiris. Requiras diligentiam in inveniendis rebus, veritatem in exponendis, neque repugna-

bo ſententiae tuae ; gloriaborque ea me prae- ſtitiſſe in explicandis doctorum hominum vitis, quin unquam moratus fuerim quorumdam inſulſitatem atque faſtidium, qui ſiquid mali offendas in iis, quorum facta hiſtoriae mandare tibi ſumpſiſti, non redargui memoria ſcriptorum, ſed defendi volunt oblivione & ſilentio. Hi quidem ignorant eam eſſe hiſtoriae legem, ut non ſolum ne quid falſi dicere audeamus, ſed etiam ne quid veri non audeamus, nec intelligunt ita homines natura comparatos eſſe, ut ſua quemque vitia comitentur, eoſque perfectos eſſe, qui minimis urgentur. Sed delicatos iſtos continuis aſſentatorum depravatos blanditiis relinquamus. Quod quaeram nunc illud eſt, num ita poſſit temperari ratio ſcribendae hiſtoriae, ut veritas, quando periculum eſt ne nimium offendat, lenitate quadam ſermonis aſperſa in animos illabatur, qua una re fieri poſſe videtur, ut neque fides, neque prudentia a ſcriptore deſideretur. Sunt quidem nonnulli ita natura aſperi, ut nullam ab acerbitate ſejunctam veritatem probent; & tum ſe beatos exiſtimant, cum habent quod omni crudelitate mordeant ac lacerent, illud

prae-

praetendentes liberum eſſe debere ſcriptoris judicium in hominum vitiis notandis. Sed aliter te ſentire arbitror, & cum iis ſtare, qui monent videndum quos reprehendas, & quae ea vitia ſint quae reprehendantur. In hominem inſigniter improbum, in crudelem, in Dei humanaeque ſocietatis hoſtem ſumma adhibeatur ſeveritas; cujus ſeveritatis illuſtria exempla dedit Livius in exagitandis praeſertim Tarquiniorum & Tulliae ſceleribus, & in Annibalis perfidia crudelitateque reprehendenda. In eum vero, qui non multa peccavit, ita jungatur ſeveritas cum miſericordia, ut ipſa notatio parum habitura ſit turpitudinis atque offenſionis. Equidem ſemper ſum admiratus Caeſaris lenitatem, qui in exponendis iis, quae ab hoſtibus ſuis in ſe dicebantur atque agebantur, in neminem paullo acerbius invectus eſt, neminemque verbo graviore, aut inclementiore appellavit. Quae ſi praeſtitit Caeſar vel ipſis hoſtibus, qui inexpiabili odio in ſe ferebantur, & inter quos multi porro erant improbi, cupidi, neſarii, quanto magis praeſtare nos debebimus viris doctrina & virtutibus inſignibus? Quorum facta moreſque ſedulo dum inquirimus, non puto perſcrutanda, odo-

randaque minima quaeque, excutiendas ſyngraphas, tabulas, codicillos, adverſaria, quid ſit actum cum argentario, quid cum procuratore, quid cum villico, quo quis ſit medico uſus, quo atrienſi, piſtore, coquo. Nolumus enim e quiſquiliis aut laudem aut animadverſionem eruere. Spectabimus illuſtria, humilia contemnemus, niſi ex his ſumere neceſſe ſit lineamenta & colores ad totius oris imaginem exprimendam. Quorſum haec longior, quam putaram, oratio? Quia deeſſe amicitiae noſtrae arbitrarer, niſi te omnium meorum conſiliorum participem facerem. Illud autem a te vehementer peto, ut inſtitutum ac judicium meum cernere velis in vita Ludovici Sergardii, quam cum his litteris ad te mitto. Ex hac quanta diligentia fuerim in reconditioribus inveniendis rebus, quam ſincerus & moderatus in narrandis judicato & perpendito; intelligeſque profecto adeo me verum amaſſe, ut, quando res poſtulavit, vel ipſas faeces indagare, pateſacere ac proferre non dubitaverim. Et eo quidem liberius locutus ſum, quod non putavi, leniſſime agendum eſſe cum homine, qui ceteros vexare omnibus contumeliis ſolitus fuit. Equidem ſaepe te au-

divi execrantem inſatiabilem crudelitatem, quam Sergardius in Gravinam adhibuit, praedicantemque hunc fuiſſe virum magnum in primis, pluſque ei virtutem ſuam dediſſe, quam aliorum calumniam abſtuliſſe. Profecto ſi reviviſceret Gravina, in hoc maxime gloriaretur, quod te haberet ſuarum laudum propugnatorem defenſoremque; & ſibi quodammodo gratularetur, videns, quae tibi olim adoleſcenti, Romae dum eſſes, conſilia dedit ad rite excolenda humaniorum litterarum ſtudia, tam proſpere ceſſiſſe, ut jure meritoque in principibus non ſolum hujus ſaeculi, ſed etiam ſuperiorum Italicis Poetis numereris. Vale.

Florentiae Kal. Nov. MDCCLXVIII.

Ludovicus Sergardius

Ludovicus Sergardius ortum habuit Senis parentibus apprime nobilibus Curtio Sergardio & Olympia Biringuccia VI. Kal. Apriles an. a reparata ſalute MDCLX. Domi educatus non effugit immanem illam & intollerandam barbariem, quae ſummo cum humaniorum litterarum detrimento in Italiam invaſerat. Id praeſertim intelligi poteſt ex duabus, quas reliquit, orationibus; de Mariae Virginis doloribus una, altera de S. Bernardini Senenſis laudibus, quae non modo reſperſae ſunt, immo vero cumulatae depravata & vitioſa ſaeculi illius conſuetudine. Picturae praeceptorem habuit Dionyſium Montorſellium, qua in arte non mediocriter ipſum profeciſſe indicant ea, quae pinxit in ſuperiori parte majoris portae, qua Florentia venientibus aditus eſt ad civitatem. At philoſophiae vel maxime ſtuduit, & in obſcuriſſimis tenebris, in quibus opera Scholaſticorum tum jacebat haec ſcientia lumen aliquod Sergardio praetulit Pyrrus

Gabriellius vir rectiſſimis ſtudiis & ſingulari doctrina praeditus. Tali modo praeparatus Ludovicus Romam venit, ut ſe exerceret in curriculo juris prudentiae. Tantum profecto de jure didicit, ut potuerit cauſſas aliquas ſummo cum plauſu defendere, & privatim & publice judicia reddere. Sed erat ſtudium aliud, quod vi ſua Ludovicum alliciebat ad ſe ſe, non emolumento captans aliquo, ſed ſua trahens dulcedine. Hoc erat ſtudium humaniorum litterarum ac praeſertim poeſis, quod renovandum putavit, ut ex optimis fontibus purum liquidumque hauriret, quod contractas prima in aetate faeces ablueret. *Utinam*, ſcripſit ille ad Victorem Felicem Couccium, *bonis avibus incidiſſem in ſanos praeceptores, qui nullo fuco ceruſſatam virtutem, ſed ſimplicem nudamque contemplandam oculis meis expoſuiſſent. Porro non damnarem inutili poenitentia conſumptam in captandis muſis adoleſcentiam. Gratulor tamen, quod non tam ſero ſapiunt Phryges, ut barbariem illam loquendi, quam hauſi, nec ſine laude exercui, novo culturae genere extirpare non poſſim*. Quod quidem ei proſpere

ſucceſſit. Erat enim ingenio ſummo, nec mediocri induſtria, ut nullus illi vacaret a ſcribendo legendoque dies: quidquid vero legebat, quod ſibi videretur notatione dignum, in adverſaria referebat. Ex epiſtola quadam ſcripta Latinis verſibus ineunte an. MDCLXXXVI. ad Tiberium Proſperum, qua pulchre exagitavit ſaeculi vitia moreſque contubernalium quorumdam ſuorum, intelligi poteſt, quanta iis temporibus facta eſſet in Ludovico mutatio. Namque tota Horatiana eſt, totaque conſperſa ſententiis veris, ſine pigmentis fucoque puerili, ſatiſque ea oſtendit, quam eſſet Sergardius natura propenſus ad carpenda ſatyrico dente vitia. Ruſticabatur autumno ejuſdem anni in Aricio cum Chiſia familia, aliiſque nobilibus viris, cumque ibi omnia plena eſſent hilaritatis liberorumque jocorum, exprimendos ſuſcepit Latina ſatyra, quae eſſet multo & acri ſale conſperſa, mores vitaeque conſuetudinem eorum, quibuſcum verſabatur. Adeo indulſit voluntati maledicendi in eadem ſatyra contexenda, ut eam comburendam putaverit, timens offen-

ſionem & odium eorum, quos male in ipſa habuerat. Cum autem celebraretur eo tempore litteratorum hominum conventus, qui in Aedibus *Propagandae Fidei* habebatur ad excolenda ſtudia theologiae, juris pontificii, ſacrae & eccleſiaſticae hiſtoriae, dedit operam Sergardius, ut in illum reciperetur. Magna quidem cum gloria ſuſtinuit provinciam aut dicendi in eo de laudibus eccleſiaſticae hiſtoriae, aut explanandi locos ex theologia & jure pontificio difficiles, aut referendi aliquid ex annalibus Eccleſiae & monumentis antiquitatis; quibus in ſtudiis diuturnius tempus conſumpſit quam, qui illum non bene noverant, arbitrabantur. In theologia ſecutus eſt Auguſtinum: odit Scholaſticos & Caſuiſtas, in quos libenter ac ſaepe invehebatur aut in ſermonibus ſuis, aut in epiſtolis, quas ad amicos ſcribebat; vehementiuſque inſectatus eſt libello quodam, quem inſcripſit *de veterum philoſophia*. Cum hujus libelli fama eſſet pervulgata, graviter exarſerunt potentes quidam religioſi viri, a quibus mala ſibi metuens Sergardius, compreſſit opus, con-

ſciditque etiam fortaſſe, cum ejus nulla veſtigia appareant inter Auctoris ſcripta. Quae qui leget, eum ſuſpicaturum arbitror, Sergardium ad ſeverioris Chriſtianae diſciplinae praecepta vitam direxiſſe ſuam; in quo profecto vehementer erraverit. Voluptatis enim illecebris deſinitus, mature ejus ſtipendia meruit; neque negabit quiſquam, voluptate dominante, maximas virtutes jacere neceſſe eſſe. Cujus culpae illum aliquando piguiſſe oportet. Nam cum ſignificaret amico conſtanter ſe recuſaſſe oblatum ſibi locum honorificentiſſimum in aula Medicei Principis, haec addidit: *Nobilior cura me tangit; regnare videlicet, non ſervire aggredior: habeo domeſticam aulam in ſecreto mentis receſſu, ubi effrenae cupiditates ac rebelles affectus quotidie inſurgunt, dominanturque rationem; cum his mihi res erit.* Quod quidem feliciter illi eveniſſe non auſim dicere. Effictos mores expreſſamque imaginem vitae quotidianae Sergardii videre licet in tabula, in qua ſe ipſum pinxit. Exhibet haec hominem florenti aetate decoraque facie, ſtipatum libris, non iis quidem unius generis, ſed quos diſparia

ſtudia diſpareſque mores ſequebantur. Nam cum *Romanae Rotae Deciſionibus* miſcentur carmina & epiſtolae amatoriae, cum ſacris codicibus Martialis & Ovidius; neque ultimo loco conſpiciuntur Cloridis armillae, & Protogeni, Zeuxique ſacra tabella Innocentio XI. P. M. mortuo, cum eligendus eſſet, qui de more ad Cardinales verba faceret de novo creando Pontifice, hoc munus Sergardio delatum eſt, commendatione praeſertim Cardinalis Petruccii, cujus in clientelam ſe ſe dederat. Sic autem illud ipſum explevit, ut prudenter ſententioſe & ornate eum dixiſſe omnes judicaverint. Alexandro VIII. ad Summum Pontificatum evecto, gratiam apud illum iniit, & ad amicitiam acceſſit Cardinalis Petri Ottobonii, cui etiam a ſtudiis, *Auditorem* vocant, fuit. Ei autem ſemper fideliſſima conſilia dedit, & omnium rerum habitus eſt particeps. Cumque in homine fidem & induſtriam magnam eximiumque ingenium quotidie magis admiraretur Cardinalis, neminem facere pluris, pluſque diligere videbatur. Habuit eum quoque ſcriptorem Latinarum epiſtolarum quas dare ſolebat ad viros prae-

ſertim Gallos litterarum gloria praeſtantes. Qua occaſione junxit Ludovicus amicitiam cum Joanne Mabillonio, quae ſemper culta fuit ab utriſque omni officiorum genere, ut indicant autographae epiſtolae ejuſdem Mabillonii, quarum octo ſupra triginta evolventi mihi Sergardii ſcripta ſe ſe obtulerunt. In iis epiſtolis multa ſunt, quae pertinent ad eruditionem, quaeque judicium faciunt de quibuſdam libris, qui per illa tempora Pariſiis prodiere. Haec autem omnia communicabat Sergardius non ſolum cum Cardinali Ottobonio, qui non mediocriter litteris tinctus erat, ſed cum ipſo etiam Summo Pontifice, quocum ſaepe ſermones bene longos habebat. Conciliatore Mabillonio amicitiam quoque inſtituit cum ſummis viris Michaele Germanio & Theodorico Ruinartio; & mandato Pontificis egit diligenter & prudenter cum Natali Alexandro, ut errores corrigeret, quos in ſua *Eccleſiaſtica hiſtoria* diſſeminaſſe a Romanis theologis culpabatur. His aliiſque meritis cum valeret Sergardius apud Pontificem, magna ſpe ab illo expectabat & fortunas & honores; cumque jam ſacerdotia

quaedam obtinuiſſet, majora impetrandi ſpem illi praecidit mors, quam idem Pontifex XV. Pontificatus menſe obivit. Juſſu Cardinalis Ottobonii laudavit ipſum funebri oratione coram purpuratorum Patrum collegio, cujus orationis brevitas neque eloquentiae luminibus, neque Latini ſermonis elegantia compenſatur, quod fortaſſe tribuendum eſt praecipiti celeritati, qua illam Sergardius confecit. Conſolabatur autem deſiderium Pontificis uſurpatione & renovatione ſtudiorum ſuorum; verſabaturque praeſertim in philoſophia, de hac multa communicans aut per litteras cum Pyrro Gabriellio, aut coram cum viro omni doctrina & virtute ornatiſſimo Franciſco Blanchinio, qui erat eidem Cardinali Ottobonio a bibliotheca. Sic cum uteretur Ottobonius familiaribus & quotidianis convictoribus, hominibus ſane doctis, auctor iis fuit, ut Academiam ſuis in aedibus conderent, quae tota eſſet in natura per experimenta inveſtiganda. Et poterant facile, quod haberent in liberalitate Cardinalis, unde ſibi ſuppeditarentur ſumptus neceſſarii; quodque Romae non deeſſent viri

ingenio praeſtantes, qui in ſocietatem gloriae vocarentur; ſed contenti privatis exercitationibus noluerunt eas in lucem proferre, credo, quod hujuſmodi ſtudia, quae nunc foventur in primis, multi iis temporibus inſectarentur. Antea quidem cum ſolitus fuiſſet Sergardius frequentare celeberrimum illum litteratorum hominum conventum, qui apud Juſtum Ciampinium agebatur, expoſuerat in eo phyſica nonnulla, quae a Gabriellio didicerat; neque unquam quaerentibus aliqua in hoc rerum genere viſus eſt defuiſſe. Ille vero cum ex his ſtudiis tantum hauſiſſet laudis, quantum eſſet ad laureolam ſatis, ea intermiſit, ut ad alia flecteret animum. Florebat tum viris doctiſſimis Arcadiae Academia, Romae anno MDCXCI. inſtituta ad convellendam avertendamque inveteratam barbariem, quae humaniores litteras ac praeſertim poeſin foede turpaverat. Cum adſciſci poſtulaſſet in illorum numerum Sergardius, facile id aſſecutus eſt, datumque ei nomen Liconis. Ut autem oſtenderet merito ſe tali honore dignatum eſſe, ſaepius protulit in Arcadum

coetum Italica carmina multa feſtivitate atque elegantia condita, gaudebatque ea ingenti plauſu probari ab omnibus. Quoniam autem invidia gloriae comes eſſe ſolet, & libenter homines de iis detrahunt, quos emergere videant altius, coeperunt Gravina, cujus ſumma erat in Arcadia auctoritas, ejuſque aſſeclae in circulis vellicare, quae condebat, carmina Sergardius. Hic inſuetus reprehenſionis iniquo ferebat animo de ſe ab iis male judicari, quorum paullo ante in caelum fuerat elatus laudibus. A quo initio occulta odia inter eos orta ſunt. Haec autem graviora fecit acre ſane certamen, quod inter eoſdem fuit, dum caenarent apud amicum. Caleſcens Gravina cibo & potione (quanquam is vino non admodum delectaretur) quaedam temere effutivit, quibus & pietatem adverſus Deum laedere, & inſolentiſſime ſe cum aliorum contemptu efferre viſus eſt. Exarſit iracundia & ſtomacho Sergardius; nec continere potuit voces irae & contumeliae plenas. Poſtquam diu multumque certatum eſt verbis, res ad manus venit, & ut ſunt Senenſes pugiles exer-

citati, non leviter Sergardius os & pectus Gravinae tudit. Acuit etiam hanc pugnam zelotypia ab amore adoleſcentuli profecta. Haec abdita in tenebris unius domus perpauci noverunt; narravitque mihi vir, qui fuit ex domeſticis & intimis familiaribus Sergardii. Hic cupiens emovere foraſque projicere conceptum in Gravinam odium, Latinam ſcripſit ſatyram, qua crudeliter illum mordet tanquam religionis & morum everſorem. Hoc ſcriptum volitavit ſtatim tota Urbe, & paſſim legebatur exſcribebaturque. Doluit profecto cruento dente laceſſitus Gravina; ajebat tamen alia nulla ratione hujuſmodi eſſe carminibus reſpondendum quam neglectu & contemptu, quod ſummorum virorum auctoritate & exemplo confirmabat; nihil citius maledicto emitti, ſed, ſi idem in eximiae ac ſingularis dignitatis viros conferretur, non modo reſtingui, ſed in eorum quoque cedere laudem. Haec aliaque hujuſmodi jactata a Gravina ad diſſimulandum dolorem ſuum, materiem addidere furori Sergardii, qui latens ſub Q. Sectani nomine, ut impunius maledicus eſ-

ſet, non prius ſiluit, quam ſexdecim ſcriptis, editiſque ſatyris omni contumeliarum maledictorumque genere in Philodemum, quo nomine Gravinam deſſignavit, invectus eſt. In tanta injuriae atrocitate habuit Gravina, quo ſe non mediocriter conſolaretur. Nam Emmanuel Martinus vir ſane Graecis & Latinis litteris doctus ad infringendos, & ſi fieri etiam poſſet, extinguendos plauſus, qui maximi impertiebantur Q. Sectani ſatyris, animadverſiones in eas fecit, quibus oſtendere conatus eſt plura eſſe in ipſis barbara vocabula, inelegantes, incompoſitos & ineptos dicendi modos, nec non ſyllabarum vitia; ipſum denique auctorem non in poetarum concilio, ſed in ſcurrarum grege reponendum. In quo ferendo judicio nemo profecto non videt Martinum effuſo ſuo in Gravinam amori, plus quam concedit veritas, largitum fuiſſe. Nam quamvis jure meritoque nonnulla culpaverit doctus ille vir, quae poſtea emendata ab auctore fuerunt; & quamvis nonnulla adhuc ſuperſint in iiſdem ſatyris, quae nolim plane Latina dicere, attamen *trans alpes & magnum navig*...

aequor gloria Sectani (ut ipſe de ſe ſe gloriatur) cui: profecto Apollo ingenium jaculumque dedit, viresque paratas quidlibet audendi feliciter. Quis aequus aeſtimator & judex non admirabitur res plane remotas a Latinorum uſibus & moribus, & in quibus repraeſentandis vel ipſe Juvenalis inſudaſſet, ita Latine, ita graphice deſcribi a Sectano, ut nihil venuſtius poſſit? Quis non fatebitur undique ſcatere ſalem & leporem, adeoque omnia compleri imaginibus acribus & inſignitis, ut, quod de Xenophonte laudavit Plutarchus in vita Artaxerſis, illa oculis intueri videamur? Permulta ſunt in iiſdem ſatyris, quae ad res Romanas, non illas antiquas, ſed recentes pertinent, quae haud intelligi poſſunt niſi ab iis, qui Romae & in Romanorum moribus diu ſunt verſati, Romanum quoque Pontificem Innocentium XII. ſaepe alloquitur poeta, effertque ſummis laudibus ad caelum. Incidit aliquando in ipſum Sergardius inambulans in xyſtis Vaticanis. Cui Pontifex: *heus tu adhuc Philodemum vexas Latinis ſatyris? Ita me Deus perdat,* reſpondit Sergar-

dius,

dius, *ſiquid ejuſmodi conſcripſi*. *Macte virtute*, inquit Pontifex: *mihi quidem gratum ſi ſeverus, diligens, non tamen malevolus eſſe volueris judex, animadverſorque vitiorum;* & quod egere putavit, illum multa pecunia donavit. Atque ut iis ſatisfaciam, qui a me percunctantur, unde ſciam Sergardium auctorem fuiſſe ſatyrarum in Philodemum, haec ſunt argumenta. Vidi ego quaſdam autographas illius epiſtolas ad intimos ſuos familiares, in quibus ſe Sectanum Sectanique ſatyrarum ſcriptorem nominat. Servantur adhuc adverſaria, in quae idem retulit illuſtres nonnullas ſententias exquiſitoſque dicendi modos ex Horatio, Juvenale & Perſio, quibus poſtea uſus eſt in contexendis ſatyris. Harum exemplar totum conſcriptum manu Sergardii Senis extat apud illius heredes; in eoque tam multa variata auctaque, cum illud ipſum contuliſſem cum editis ſatyris ante an. MDCC. animadverti, ut viderer mihi alium Sectanum videre. Iſthaec profecto varietas nihil aut parum admodum apparet, ſi cum eodem exemplari conferas octo priores ſatyras, quas anno

MDCC. duobus voluminibus comprehenſas Amſtelodami edidiſſe dicitur P. Antonianus & locupletiſſimis commentariis illuſtraſſe. Cujus editionis quoniam a nobis mentio facta eſt, minime celandum putamus illam non Batavam, ſed Romanam eſſe, ejuſque & commentariorum auctorem fuiſſe Paullum Maſſejum Volaterranum, doctrina antiquitatis inſignem & Sergardio conjunctiſſimum; & quae opus ornant, teſtimonia illuſtrium virorum de Sectano, compoſuiſſe ipſum Sergardium, ejuſque civem & familiarem Canonicum Joannem Baptiſtam Brancadorium, qui haec amico ſuo, ex quo ego comperi, patefecit. Fortaſſe Maſſejus in incepto permanſiſſet edendi illuſtrandique Sectani ſatyras, quod avidiſſime ab omnibus expectabatur, niſi inter eum & Sergardium ſimultates ortae fuiſſent. Poſſem quidem & alia in medium proferre argumenta, cur credam ſatyras in Philodemum conſcripſiſſe Sergardium, ſed prolatis contenti erimus. Non enim puto rem majoribus egere, niſi forte illud dubitationem affert, quod non parum abſint a perfectione ſatyrarum cetera, quae

reliquit ſcripta Sergardius. Ac mihi quidem id conſideranti facile venit in mentem non defuiſſe homini illi ſocium & adjutorem in conficiendis ſatyris, aut ſaltem prudentiſſimum cenſorem in iiſdem expoliendis. Etenim is minime recuſabat, ut admoneretur & amice doceretur; adeoque promptus erat & exercitatus poeta, ut aliquando plures a perito notatos ſatyrarum locos ſtans pede in uno decies uſque variare potuerit. Hic poſtquam tertiam & decimam confecerat ſatyram, ecce audit tota Urbe ſparſum rumorem obiiſſe Sectanum. Obierat quidem per illos dies haud illitteratus Grammaticus quidam; huncque exagitatorem Philodemi fuiſſe tantummodo ex eo conjecturam faciebant homines, quod ille morti proximus quamplurima in ignem conjecerat ſcripta. Riſit vulgi ſermones Ludovicus, ex iiſque novae condendae ſatyrae, omnium quidem, meo judicio, pulcherrimae, occaſionem ſumpſit, quam orditur ab occurſu Ligurini, qui viſum forte Sectanum ab inferis reducem curioſe interrogat; quae aſpexerit apud Tartara, quid egerit, & quo felix tramite

ab iis evaſerit. Has autem quatuordecim ſatyras primus in lucem edidit Triſo bibliopola Romanus an. MDCXCVI. ediderunt & alii ſequentibus temporibus, cum earum numerum poeta duabus auxiſſet, quarum poſtrema graviter de Triſone queritur, quod librum, inſcio auctore, impreſſum & quidem mendoſiſſime, venderet. Extat & alia ſatyra a Sergardio conſcripta calamo & atramento temperato, quod tota ferme verſetur in tribuendis praeconiis Summo Pontifici Clementi XI. Nullum profecto locum praetermittebat Sergardius illius laudandi Pontificis virtute & doctrina ſpectata ampliſſimi, idque praeſertim praeſtitit in ea, quam de architectandi, pingendi ſcalpendique artibus in Capitolio anno MDCCIII. habuit Etruſca oratione, & cum narrationem Etruſce pariter ſcripſit earum rerum, quas idem Pontifex non modica pecunia faciendas locavit ad ornamentum majoris aulae, quae in aedibus eſt Cancellariae, ut vocant, Apoſtolicae. Magna fortaſſe ſpes tenebat Sergardium, qui inter Romanos Praeſules jamdiu adſcitus erat, ampliſſimis ſe decoratum iri

honoribus ab Albanio, quocum ab adoleſcentia ferme ſibi jucundiſſima fuerat amicitia, & qui litteras litteratoſque viros impenſe amabat. *Equidem* (ſic enim ferme ſcribebat ad amicum) *primum ut honore dignus eſſem, maxime ſemper laboravi, ſecundo ut exiſtimarer; tertium mihi fuit illud, quod pleriſque primum eſt, ipſe honos, qui vel modeſtiſſimis debet eſſe jucundus, quoties teſtimonium doctrinae & merito, non beneficium ambitioni dari cenſetur.* Verum cum Sergardius in dies extenuari ſpes ſuas & evaneſcere videret, perfugium ac ſolatium in philoſophia & in manſuetioribus muſis quaeſivit. Cum fuiſſet curator operibus faciendis in Baſilica S. Petri, equeſtrem ſtatuam in ejuſdem Baſilicae porticu Carolo Magno ſtatuit, nonnullas aras tabulis emblemate vermiculato affabre elaboratis ornavit, aream ſilice ſtravit, & obeliſcum in eadem area collocatum columellis certo ordine diſpoſitis ſepſit. Sed poſtremum opus hoc incurrit in reprehenſiones intelligentium, eaque propter non modo vocibus, ſed etiam carminibus graviter vituperatus eſt Sergardius. Non eſt credibile

quantum id doluerit homo gloriae cupidiſſimus, quem tamen reminiſci oportebat illam Publii Syri ſententiam:

Ab alio expectes alteri quod feceris.

Et quidem vehemens adeo fuit in eo doloris ſenſus, ut nonnulli exiſtimaverint huic maxime tribuendam eſſe incommodam valetudinem, qua his temporibus tentari coepit. Valetudini ut conſuleret, Spoletum venit; ſed nihil ei melius factum eſt, ibique diem obiit ſupremum VII. id. Novembris an. MDCCXXVI. Sepultus eſt cum pompa funeris in majori Templo ejuſdem civitatis prope ſacellum S. Franciſci.

OPERA EDITA

Q. Sectani ſatyrae in Philodemum cum notis variorum. Coloniae 1698. apud Joannem Selliba in 8.

—— *Eaedem ſatyrae numero auctae, mendis purgatae, & ſingulae locupletiores; editio noviſſima &c. concinnante P. Antoniano. Amſtelodami apud Elzevirios 1700. vol. 2.* Minime praetereundum putamus ipſum Sergardium delineaſſe & in aere celaſſe Sapientiae imaginem, quae frontem ornat prioris voluminis. Nemo dubitare videtur inter Sectani opera numerandum eſſe librum, qui inſcribitur:

Satire di Settano tradotte in terza rima dallo ſteſſo Autore: in Zurigo (falſo; nam Florentiae liber typis impreſſus eſt) *a ſpeſe della compagnia l' anno 1770.* ſed ſi hanc interpretationem conferes cum Latinis ſatyris, profecto dubitabis, adeo ab his diſtat elegantia, vivido quodam ſpiritu, ceteriſque poeticis virtutibus, quibus eaedem Latinae ſatyrae mirum in modum abundant.

Oratio pro eligendo Summo Pontifice poſt obitum Innocentii XI. habita in Baſilica Vaticana coram Sacro Collegio a Ludovico Sergardi Senenſi, Romae 1689. typis Jo. Jacobi Komarek.

Diſtinta relazione della gran Sala della Cancellaria Apoſtolica ornata nel Pontificato della Santità di N. S. Papa Clemente XI. e aperta al pubblico il giorno 17. Febbrajo 1719. In Roma 1719. preſſo Gio. Maria Salvioni.

Orazione di Monſignor Ludovico Sergardi Seneſe Referendario dell' una e l' altra Segnatura, e Ponente della Sacra Conſulta, recitata in Campidoglio per l' Accademia dell' arti liberali l' anno 1703.

Carmen ad Clementem XI. Extat in parte altera Carminum Arcadum, Romae 1756.

Non deſunt qui arbitrantur Sergardium plurimum adjuvaſſe Caeſarem Gregorium Scottum Senenſem in concinnando Carmine, quod inſcribitur *Caſſianeidos*.

Illud & addendum putamus eſſe nunc Lucae, qui in nova editione ſatyrarum Sergardii concinnanda elaborant, cum earum autographa ab illius heredibus obtinuiſſent.

Ludovicus Antonius Muratorius *

Ludovicus Antonius Muratorius operibus quinque ac quinquaginta in lucem editis nemini, cui quidem litterae cognitae ſint, in Europa minime cognitus. Natus is eſt XII. Kalen. Novembris anno Domini MDCLXXII. ex Franciſco Muratorio & Joanna Altimania, honeſtis hominibus at in tenui re, Vignolae, quod oppidum, duodecim fere paſſuum millibus Mutina diſſitum, ab Ateſtinis Ducibus, ſeudi jure, Boncompagnorum gens nobiliſſima obtinet. Vix primis ille fuerat litterarum elementis imbutus, cum ſabularum, quas *Romanenſes* appellare ſolemus, a celebri femina Scuderya deſcriptarum, lectione mirum in modum captus eſt, ac deinde quotquot invenit ejus generis libros, tanta perlegit aviditate, ut ad menſam etiam eos adhiberet. Ex eo

* Hanc vitam conſcripſit Aloyſius Brenna; idem ille auctor elegantiſſimus Galilaei vitae, quae extat in I. volumine.

tempore correptus eſt ſemper aliquid addiſcendi deſiderio, quo ſemper ad ultimam ſenectutem mirifice flagravit. Cum prima Latini ſermonis accepiſſet Vignolae rudimenta, neque ultra deficientibus magiſtris progredi poſſet, Mutinam ſtudiorum cauſſa mittendus erat; ſed parentis paupertas impedimento fuit, quominus illuc ante annum MDCLXXXV. concederet. Ibi grammatica ac deinde humanioribus litteris opera Jeſuitarum, quos ut bonos adoleſcentium inſtitutores & habuit ſemper & coluit, impertitus eſt; quo tempore liberalibus ita ſe ſe tradidit diſciplinis, ut etiam quidquid otii ſupererat a ſcholarum occupationibus, in legendis libris, praecipue Latinis, quos faciebat Italicos, plerumque libentius, quam puerilibus in ludis inſumeret. Jam tum ille coepit particulae cujuſque temporis avarior eſſe, quam homines etiam litteris dediti conſueverint; ac legem ipſe ſibi indixit, quam per omnem exinde vitam ſanctiſſime ſervavit, non amplius unquam, longioribus quoque noctibus, quam ſeptem horarum ſpatium ſomno concedendi. Ipſe quidem a teneris, ut ajunt, unguiculis op-

taverat *clericali* adſcribi *militiae*; ſed pater eo repugnabat, quod unicus ei filius eſſet; tandem manus dedit, & menſe Januario an. MDCLXXXVIII. per Carolum Molzam Epiſcopum Mutinenſem noſter ſacro ritu tonſus eſt, ac duobus tunc primis minoribus ordinibus, anno vero, qui conſequutus eſt, aliis duobus inſignitus fuit; ex quo tempore ludicris quibusvis nuncium omnino miſit, ac mores in melius ita commutavit, ut nullus Mutinae adoleſcens aut magis deditus liberalibus ſtudiis, aut modeſtiae ceterarumque virtutum laude florentior exiſteret. Cum triennio verſatus eſſet in Jeſuitarum ſcholis, ad publicam ſe ſe contulit Academiam, quo philoſophiae navaret operam. Magiſtro uſus eſt Joanne Dominico Guidottio ex tertio, quem vocant, S. Franciſci ordine. Hunc deinde ſemper honoris cauſſa Muratorius nominavit, neque parum ei ſe ſe debere profitebatur, quod res etiam diſficiliores mirabili quadam diſcipulis enodare perſpicuitate conſueſſet. Quanquam enim ille Scholaſticorum opinionibus non tam occupabatur quam impediebatur, Peripateticas

doctrinas ita proponebat, ut & in alias quandoque diſcederet ſententias, & quod caput eſt, quid ex recentioribus ſummi philoſophi docuiſſent, luculenter explicabat. Sub eo Muratorius pridie nonas Februar. anno MDCXCII. de ſubtiliſſimis quaeſtionibus in doctorum hominum conventu ſolemni more diſputavit, Ludovico Maſdonio tum Epiſcopo Mutinenſi in patronum adſcito. Hanc quidem noſtro juveni diſputationem honori non levi fuiſſe memoriae traditum accepimus. Deinde legibus in eadem Academia ſub Hieronymo Pontiano doctiſſimo viro ac praeceptore ſatis commodo, nec non eodem tempore theologiae morali ſub Joanne Juliania Societatis Jeſu, quem etiam ſummis & iisdem meritis etiam aetate maturior laudibus extollebat, ac theologiae Scholaſticae operam dedit. Hac in poſtrema facultate ſe ſe ducem non inveniſſe conquerebatur, qui ſibi ſatisfeciſſet: itaque libros conſuluit; cumque non multos eo tempore habere poſſet, aliorum ſcripta non ſine magno labore deſcripſit; quamobrem quidquid in ea ſcientia profecit (profecit autem plurimum) ſibi tan-

tum ingenioque ſuo debuit acerrimo & maximo. Tum pater tum familiares aliqui Muratorium hortabantur, ut morali theologiae ac juri utrique totum ſe ſe dederet magnos ex iis honores atque divitias facile relaturus. Iis aliquando noſter aures adhibuit, ac ſpei dulcedine ſe ſe aliquantulum capi paſſus eſt. Ea de cauſſa Nicolai Santii tum ſcientia juris tum dignitate florentis domum frequentare coepit, ut qua ratione tum leges tum reſponſa prudentum deducerentur in uſum (*praxim legalem* barbari totum illud appellavere negotium) ediſceret. Sed & ſcientia illa morum, qualem Theologi tradunt, non ſatis ei placebat & juris prudentia, qualis in foro & apud judices locum habet, vehementius ejus animum offendebat. Id nempe factum eſt iis omnino de cauſſis, propter quas ab utraque facultate mobilia ingenia, quibusdam natura inditis igniculis ad veritatis inquiſitionem exardeſcentia, niſi forte honorum aut lucri cupiditate alliciantur, abhorrere conſueverunt. Itaque totum illud tempus, quod in iis audiendis praeceptoribus haud terebat, huma-

nioribus litteris, praecipue vero lectioni poetarum, nec non eorum, qui de poeticis rebus aliquid ſcripſerant, coepit impertiri. Sed ea temporum erat conditio, ut per ipſam Italiam prorſus abſurda vigeret adhuc ſcribendi ratio ſuperiore ſaeculo cum tanto bonarum artium incommodo invecta: quare mirandum non eſt, Muratorium etiam fucatis illis pigmentis & orationum verſuumque calamiſtris atque cincinnis fuiſſe delectatum. Theſaurus ineptiſſimus, videlicet ille ſcriptor, qui dein a Muratorio tantopere vapulavit, ipſi tum in deliciis erat; Petrarcha, multoque magis qui Petrarcham ſequerentur, jejuni ac ſicci nulla voluptate lectorum animos poſſe perfundere videbantur. Dum ea ratione Muratorius ineptiret, ac verſus tamen ederet, qui ſcriptoris ingenium ſaperent, facile impetravit, ut in coetum admitteretur hominum honeſtiſſimorum, qui ſaepe de rebus ad liberaliſſima ſtudia pertinentibus conferebant ſermones, ut alter alterius prudentia doctior evaderet; quos inter Marchio Joannes Rangonius, Joannes Cariſſimius, Petrus Antonius Bernardonius eminebant. Ac-

cidit, ut ad eum coetum carmina Etruſca deferrentur recenter edita Caroli Mariae Maggii, ac paullo poſt alia Franciſci Lemenii. Dici vix poteſt, quantopere homines, qui natura emunctae naris erant, quamvis in ingentibus eatenus erroribus volutati, capti fuerint Maggii vi atque copia, Lemenii vero tum amoenitate tum vero magnificentia. Non ſecus atque homines ex longo experrecti ſomno tum primum oculos coeperunt veritati aperire, ac demum videre quid ab eo praeſtandum ſit, qui quidem eſſe velit poeſeos laude perfectus. Ex eo tempore Ludovicus Antonius quidquid in poeſi didiciſſe viſus ipſe ſibi fuerat perdendum ratus, poetas antiquos tum Latinos tum etiam Graecos, quorum carmina Latina facta eſſent, accuratius coepit nocturna diurnaque manu verſare, & quidquid in iis notatu dignius deprehendebat in adverſaria conferre. Sub idem fere tempus in oratione quoque ſoluta numeris proficiendi ſtudio inflammatus eſt. Vereor tamen ut ad eam aeque ac ad poeſim omnino teretes attulerit aures exquiſitumque judicium. Declamationes Quintiliani, Libanii,

ac Senecae ſenioris legebat aſſidue, illorum videlicet ingenio, quod tamen fortaſſe nimis extat, ſummopere delectatus. Equidem neque ſcriptum inveni, neque ex ea, quam tenuit deinceps, ſcribendi ratione deprehendere unquam potui, Ciceronis libros Muratorio in deliciis fuiſſe habitos. Illud ſane legi, juvenem Ludovicum Antonium a Maggio petiiſſe, ut orationi neſcio cui ejuſdem judicio commiſſae *aliquid Plinianae amoenitatis ac florum Ciceronianae gravitati admiſceret*; qua de re a Maggio reprehenſus eſt admonente, Ciceroni, qui habendus eſſet in ſcribendo Deus, nihil vel ab arte vel a natura deeſſe, quominus ejus exemplum, quicumque velit optimam ſibi comparare ſcribendi rationem, reſpicere perpetuo debeat ac ſequi. Quid Maggius eo monitu profecerit, equidem neſcio. Sane Ludovicus Antonius, quem vel ab ineunte juventute librorum helluonem, non ſecus & veterem illum Catonem, haud abſurde dixiſſes, iis perlectis auctoribus, ad Senecae philoſophi opera totum ſe contulit, ex quo tempore

Stoicae

Stoicae philoſophiae, quam in iis didicerat libris, amore captus eſt omnino ſingulari. Hinc & Epitetto & Ariano ſtudere coepit impenſius, & tantos progreſſus habuit in Stoicis, ut nullis eſſe animi perturbationibus obnoxius ipſe ſibi videretur. At cum ejus mater elata eſt, tanto dolore animi coepit affici, ut magnum nihil ſine Chriſtiana Religione humanam poſſe philoſophiam ſibi perſuaſerit. Sed tamen ea diſciplina delectatus Juſti Lipſii opera diligentius pervolutare coepit, ex quo factum eſt, ut antiquitatum Romanarum, de quibus ille multa praeclare, nec non totius eruditionis, quam prophanam dicimus, incredibili quodam ſtudio & amore corriperetur. Tum Graecae linguae ſine magiſtro ac duce navavit operam, & paucos intra menſes ita profecit, ut aliorum dux atque magiſter eſſe poſſet. Verumtamen ut in ſtudio antiquitatum tutius procederet, in diſciplinam totum ſe ſe tradidit Benedicto Bacchinio Caſſinenſi Monacho, de quo nihil me attinet dicere, cum ejus vita fuerit ab elegantiſſimo doctiſſimoque Angelo Fabronio tam accurate deſcripta. Pendebat ab ore Bac-

chinii Muratorius, nec ab ejus unquam latere diſcedere voluiſſet. Senex etiam faſſus eſt ſaepius tanti viri conſuetudinem atque inſtitutionem ſibi maximo in ſuis ſtudiis adjumento fuiſſe, quin & ei potiſſimum quidquid in arte critica poterat referebat acceptum. At Bacchinius auctor juveni fuit, ut eruditionis, quam prophanam dicimus, ſtudio aliud etiam adjiceret ejus, quam ſacram & eccleſiaſticam appellamus; praeſertim quod vitae generi ab eo electae id optime conveniret. Hinc Muratorius Spondani Annales, dein Eccleſiaſticos melioris notae ſcriptores hiſtoricos, poſtea Concilia, Sanctoſque Patres, alioſque libros illuc facientes ita perlegit, ut ad verbum (tanta erat ei memoriae vis) edidiciſſe videretur. Fuſius fortaſſe, quam neceſſe fuerat, de primis Muratorii ſtudiis loquutus videbor. Sed res notatu digna mihi viſa eſt, eum rationibus iis admodum profeciſſe, quae ceteris fere omnibus non eadem acie mentis ac reminiſcendi facultate praeditis, cum ipſa copia rerum obrui facile ſoleant, haud levi fuiſſent impedimento. Atqui Muratorius ex alia in a-

liam facultatem aut ſcientiam ita breviſſimo temporis intervallo gradum fecit, ut cum quae didicerat, omnia memoria cuſtodiret, exemplo ſuo probare poſſet, quam arcto inter ſe universae diſciplinae vinculo contineantur, ut altera alteram juvet, cum aliae ex aliis aptae videantur ac nexae. Ille quidem inter tot pulcherrima ſtudia dies noctesque jungens parvo contentus vivebat, nec de honoribus multoque minus de divitiis exaggerandis aliquid cogitabat. At enim de illo duo cogitabant amici praeſtantiſſimi, ingenium atque doctrinam ac mores juvenis admirati, Joannes Ioſephus Urſius eruditionis & carminum gloria per Italiam, quin & per Europam quam qui maxime nobilis, & Antonius Felix Marſilius, qui poſtmodum apud Peruſinos fuit ſacrorum Antiſtes, vir & ipſe magnorum hominum familiaritate digniſſimus. Horum opera factum eſt, ut adnitente Comite Carolo Borromaeo, qui litteratis & ipſe hominibus impenſe favebat, Mediolanum juvenis Muratorius advocaretur, quo unus ex Doctoribus eſſet Ambroſianae bibliothecae Praefectis. Nihil iſ

viri gratius noſtro potuiſſent efficere, ſi per eos ad alicujus florentiſſimi regni procurationem fuiſſet admotus. Antequam illuc commigraret ad XVII. Kal. Jan. an. MDCXCIV. doctoralem, quam dicunt, in utroque jure lauream Mutinae accepit, & a praeſule Masdonio factus eſt Diaconus, cum anno ante Subdiaconatus ordinem ab ipſo accepiſſet. Mediolanum pervenit initio Februarii anno MDCXCV. ac brevi, indulgente Summo Pontifice, non enim per aetatem licuiſſet, Sacerdos inauguratus eſt per Thomam Cevam Tortonenſem Epiſcopum. Bibliothecae Praefectus non ſe ſe libris immiſcuit, ſed totum in eoſdem ſe ſe abdidit, vetereſque codices, queis illa abundat, ita ſcrutatus eſt, ut multa deprompſerit ad id temporis ceteris incognita, ex quibus libros, qui *anecdota Latina* & qui *anecdota Graeca* inſcribuntur, elaboravit. Iis enimvero de libris, quibus tum primum Europae totius admirationem in ſe Muratorius convertit, hic eſſe videretur dicendi locus. At mihi propoſitum eſt, ne ſaepius non ſine taedio lectorum ad res omnino diſſitas vel invita diſtrahi videatur

oratio, primo quid Muratorius egerit, deinde quid ſcripſerit, explicare. Cum iis diſtineretur curis, non tamen ille recuſabat, quominus aliquid in iis doctorum hominum coetibus, quos Academias nuncupamus, recitaret. Novam etiam hujuſmodi Academiam ad philoſophiam morum & humaniores litteras juvandas in Borromaeorum aedibus curavit inſtitui. Eo etiam tempore marmoribus antiquis & inſcriptionibus veterum monumentorum, praeſertim ineditis, colligendis operam dare coepit, & ea moliri, quae poſtmodum ex magna parte perfecta videbimus. Beatus ſibi videbatur in Ambroſiana bibliotheca, tanquam in ſuo regno, Muratorius, cum improviſo Mutinam a Raynaldo I. Duce revocatus eſt. Videlicet is multis juſtiſſimiſque de cauſſis apud ſe ſtatuerat hominem Eſtenſi archivio praeficere, qui cum fidelitate, tum in rebus praeſertim ad antiquiora monumenta codiceſque ſpectantibus, doctrina eſſet omnino ſingulari. Ita ſibi facile perſuaſit, neminem ad id munus Muratorio ſuo aptiorem inveniri poſſe. Eum igitur de mente ſua certiorem fieri curavit,

dignitatem Archivio Praefecti, ac ſtipendium idem, quo fruebatur is Mediolani, pollicitus. Aegre admodum ab Ambroſiana bibliotheca ſe ſe divelli patiebatur noſter: nec non Urſius atque Marſilius auctores ei erant, ne Mutinam Mediolano praeferret. Sed domino ſuo, praeſertim & juſta petenti, & praeclara cupienti, obſiſtere durum admodum Ludovico videbatur. Ad id patriae pietas ac ſororum trium, quas paullo ante moriens pater plenis annis nubiles reliquerat, caritas accedebat. Re multum deliberata tandem ſe ſe vicit, ac Ducis juſſa facturum ſe ſe reſpondit: ſex tamen menſium inducias, quo res ſuas Mediolani componeret, fidemque ſuam de Maggii operibus cum ejus vita edendis liberaret, efflagitavit; ſimulque ne dumtaxat Archivio Praefecti, ſed & Bibliothecarii titulo honeſtaretur, petiit, ne videretur exteris praeſertim hominibus, ad quorum amicitiam ſe ſe per epiſtolas adjunxerat, aliquid amiſiſſe priſtinae dignitatis. Utrique petitioni ſtatim Raynaldus annuit, eumque Bibliothecarii ſui munere ac nomine decoravit. Mutinam rediit Muratorius

menſe Auguſto anno MDCC. Statim Archivio in aliquem ordinem redigendo manum admovit; qua quidem in re non ſine magno taedio, quamvis & alios haberet adjutores, ferme duos inſumpſit annos. Majorem tamen animo cepit moleſtiam, veritus fruſtra tantos a ſe labores fuiſſe ſuſceptos, cum anno MDCCII. periculoſum per totam Ciſalpinam Galliam extitit bellum. Tunc enim Eſtenſe Archivium, quod ſine chartarum ac monumentorum perturbatione fieri vix poterat, cum aliis majoris pretii rebus Raynaldus Dux in tutiorem locum transferri juſſit, priuſquam a Gallis, quod paullo poſt factum eſt, Mutina occuparetur. A Gallis Muratorius honorifice eſt habitus, dignitate ipſi etiam ſtipendioque ſervato, quin & Regii Bibliothecarii nomine inſignitus; quo tamen ipſe, ne videretur domino ſuo injuriam inferre, nunquam uti voluit. Tum vero magis, quam antea, libris elucubrandis ita ſe ſe tradidit, ut poſtremus etiam morbus ſcribentem aliquid invenerit, imo nec prorſus a ſcribendo deterruerit. Sed nunc alia, quae reſpiciunt reliquum ipſius vitae

curriculum, more noſtro breviter ac ſtrictim attingamus. Ille quidem, ex quo praeſertim tempore Sacerdos factus erat, haud levem a ſe conferendam operam eſſe ſtatuerat ad aeternam Chriſtianorum ſalutem promovendam. Hinc & eorum confeſſionibus Catholico ritu excipiendis erat, cum opportunitas id ferret, aſſiduus, & iis praecipue, qui carceribus incluſi fere deferebantur, praeſto eſſe contendebat; quin & a Raynaldo Duce obtinuit, ut munus, quod vocari ſolet, *Viſitatoris* carcerum Mutinae conſtitueretur; quod munus ipſe miſerabilium illorum hominum caritate permotus ultro ſibi optavit, ac per annos bene multos exercuit. Hic enimvero nobis itinera memoranda ſunt, quae fecit per autumnum an. MDCCXIV. ac MDCCXV. ac ver anni MDCCXVI. jubentibus Raynaldo Duce ac Georgio I. Magnae Britanniae Rege. Iis profecto temporibus quotquot potuit archivia cum Petro Hercule Gherardo docto viro, neceſſario ſuo, illorum auctoritate litteriſque commendatitiis ad Principes Italiae viros inſtructus, in eadem Italia inviſit; atque ita ſcrutatus eſt, ut omnia col-

legerit, quae quidem aliquid vel ad Eſtenſis ac Brunſvicenſis familiae decus, qua praecipue de cauſſa miſſus fuerat, vel ad hiſtoriam univerſam quoquo modo illuſtrandam conferre viderentur. Inter epiſtolas, quas diximus, quaedam erat Georgii Regis ad Joannem Cornelium Venetiarum Ducem, in qua noſter vocabatur homo *in ſtudio hiſtorico verſatiſſimus*. Eam quidem gravibus quibusdam de cauſſis Veneti recipi noluerunt. Id tamen non obſtitit, quominus aliqua tum Venetiarum tum Venetae ditionis Muratorio paterent archivia. Reduci in patriam anno MDCCXVI. munus oblatum eſt Praepoſiti in Eccleſia Mutinenſi S. Mariae, quae *Pompoſae* dicitur. Etſi non pingue ſit Sacerdotium, eo, de quo diximus, juvandi ceteros deſiderio illud ſuſcipere minime abnuit. Ita ſe geſſit in eo munere Muratorius, ut Catholicorum Parochorum exemplar & haberi mereretur & dici. Primo quidem ingentem profudit pecuniae vim, ut Eccleſiam ſuam ſacris calicibus ſacriſque vaſibus aliis ac veſtibus, omni demum ſupellectile, nec modo neceſſaria, qua ferme carebat, ſed &

ſplendidiore donaret. Anno autem MDCCXVII. etiam aggreſſus eſt Eccleſiam eamdem, quod ex omni fere parte labefactata ruinam quoque minaretur, aere ſuo reaedificare, ac tertium ferme poſt annum quod molitus erat abſolvit, pluſquam centuſſibus quater mille in id erogatis. Tunc enimvero ex calcis efſluviis, aut potius ex peſtilentibus fundamentorum halitibus, cum ubi putrefacta materies ac veteres tumuli deliteſcebant, jacta eſſent, in morbum incidit omnino periculoſum. Accidit id anno MDCCXX. Sed ex eo morbo medicorum opera, praeſertim quos Raynaldus Dux, veritus ne maximum ſuae ditionis decus amitteret, ei ſubmiſerat, brevi convaluit. Multas etiam alias fecit expenſas in alia, quae Ferrariae Ducis ipſius beneficio adeptus erat, Sacerdotia; quin & in eadem urbe Eccleſiam S. Agnetis, cui Prioris cum dignitate praeerat, fere totam inſtauravit. Illud etiam memoria dignum, quod cum levandi pauperum calamitates incredibili quodam ſtudio teneretur, ei multo magis, ex quo Parochus factus eſt, habenas eſſe remittendas putaverit. Non modo

liberalitate ſua quotquot potuit ſtipem emendicantes ille juvit aut ad januam ſuae domus aut ad viam quacumque tranſiret, qua de re memoriae proditum eſt, nihil unquam ipſum eis negaviſſe, cum etiam ultro quaereret cui largiretur; ſed & ingentem aliquando iis, qui de gradu ſuo deciderant, donavit pecuniam, eis rationibus uſus, ut ipſorum non modo neceſſitati, verum etiam verecundiae conſuleret. Aliquando centum, aliquando etiam ducentos centuſſes eo modo largitus eſt. Semel etiam cum non haberet nummos, petenti quo filiam ſuam inter moniales Deo ſacraret, vaſa quotquot domi habebat argentea & torquem aureum a Carolo VI. Caeſare dono ſibi miſſum commodavit oppignorandum. Neque vero dumtaxat ille pauperes pecunia ſublevabat, ſed & ea cum iis agebat ratione, ut ſe ſe illis non conditione naturae, ſed fortunae munere praeſtare, ſemper cum animo ſuo volvere videretur. Nunquam recuſabat, quominus eisdem praeberet aures iis etiam horis, quibus a nemine alio voluiſſet interpellari. Saepius viſebat aegrotos, ſaepius quos hieme

per vias offendebat nimio frigore laborantes: invitabat domum, quo tum igne tum cibis e menſa ſua foverentur, quin &, ſiqui non poterant per ſe ſe advenire, per bajulos deferri curabat. Nunquam ſuperbe, nunquam non omnino patienter cum illis egit, ſemper in iiſdem communem parentem Deum agnoſcens ac veneratus. Sed & in Eccleſia ſua ſocietatem inſtituit, quae *Charitatis* dicta eſt, ac magno deinde pauperibus Mutinenſibus adjumento fuit. Ad eam enim pertinet viduarum & orphanorum & aegrotantium cura; illud praecipue ut pueri atque puellae miſerabiliores iis artibus imbuantur, queis deinde victum atque veſtitum ſine certiſſimo, quod antea contingebat, honeſtatis morumque diſcrimine comparare poſſint. Huic ſocietati plurima ille donavit dum vixit, nec non moriens grandem quoque pecuniam legavit ab heredibus, omnique ope contendit, ut ab aliis etiam augeretur divitiis, praeſertim qui ſine conſanguineis decederent. Sed & ſacros impulit oratores, ut e ſuggeſtu caritatis commendarent virtutem, & Chriſtifidelium animos pauperibus ſubveniendi

deſiderio inflammarent. Eam ſocietatem ſanctiſſimis ipſe munivit inſtitutis ac legibus, nec non a Ducibus impetravit, ut ipſa coercendi eos, qui cum aliquod exercendi opus haud deſtituerentur viribus, inertiſſimam mendicandi conſuetudinem praeferebant, gauderet auctoritate. Sed & edicta obtinuit ab iisdem, quibus aut revocarentur aut conſtituerentur ſapientiſſimae leges in eosdem voluntarios pauperes, qui certe, ne alii vera miſeria preſſi Chriſtianorum pietate juventur, ſunt impedimento. Per eumdem etiam emendata fuit prava conſuetudo, qua pauperes in Eccleſiis, non ſine piorum hominum interpellatione, ſtipem poſcebant. Cum vero Mutinae graviſſimis Hebraeorum foenoribus homines miſeri non habentes quo confugerent, ut mutuum aliquid acciperent, per ea tempora premi ſolerent, *Montem*, ut vocant, *Pietatis* erigi curavit. Ejus quidem eſſe voluit hominibus id genus mutuos, quin ullos exigeret fructus, nummos impertiri. Montem hunc Antonii Pavarottii pii civis Mutinenſis hereditate, quin & pluribus aliis etiam de ſuo

acceſſionibus curavit locupletari. At ne omnia, quae de Muratorii effuſa in omnes liberalitate dici poſſunt, ſtudioſe perſequar, complectar brevi. Etenim poſt ejus mortem rationibus magna diligentia ſubductis omnino compertum eſt, expenſarum multo plus in Eccleſiarum, quas tenebat, commoda & ornamenta, nec non ad pauperum levandas calamitates eum feciſſe, quam ab omnibus Sacerdotiis toto vitae ſuae tempore perceperit; qua quidem re quid afferri poſſit ad Sacerdotis alicujus laudem gravius aut magnificentius equidem neſcio. Illud tamen non omiſerim, quod Parochum agens, & Societatis, de qua diximus, inſtitutum & rationes ac negotia procurans, aliquando contumelias, aliquando minas, & eas quidem atrociſſimas a flagitioſis hominibus ita pertulit, ut nunquam ejus manſuetudinem aut conſtantiam immutatam fuiſſe dixeris. Accidit etiam, ut mortis aut graviſſimi certe vulneris periculum ſubiret, cum a nefario patre filiam ab ipſo proſtituendam in tutiorem locum deferri curaſſet. Veſpere in ipſum incidit. Ardebant perditi hominis ocu-

li; toto ex ore facinus, quod aggreſſurus erat, quin & ex verbis atque conviciis, eminebat. Muratorius quidem in domum ſe ſe recepit, cujus forte januam invenit adapertam. Poſtea nullam ex inimico poenam per ſuos expeti voluit; quin etiam nihil habuit antiquius, quam ut eumdem certiorem faceret, a ſe quidem nihil ipſi eſſe timendum; quidquid contigiſſet, ſe ſe non eſſe memorem. Demum criminis poenitentia ductum ac veniam infimis precibus poſtulantem amantiſſime complexus eſt. Jam vero cum ea, quae omnino difficiliora ſunt in Parochi munere, tam egregie praeſtiterit, vix me attinet dicere, quanta cura in cetera incubuerit, quae ſuarum eſſe partium optime noverat. Nam & memoriae proditum eſt quantopere adlaboraverit, ut homines curae ſuae commiſſi ex Evangelii norma moderarentur mores; ut aegroti Catholicae ſacramentis Eccleſiae procurarentur; ut nihil intra ſuae Paroeciae fines, quantum ſineret loci conditio, admitteretur, quod praeſertim ſimpliciorum vitam corrumperet; ut qui Eccleſiaſticae militiae nomen dede-

rant, fidelibus ceteris virtutum omnium eſſent exemplo. Hujus quidem rei gratia *pias*, quas dicimus, *Exercitationes* a S. Ignatio de Loyola primum invectas in Eccleſia ſua quotannis per eoſdem Clericos obeundas inſtituit. Multus etiam erat in eo, ut non modo Sacramentorum adminiſtratio, ſed & alii quique Catholici ritus in Eccleſia ſua non ſolum ſine negligentia, ſed & cum magna dignitate peragerentur. Hac etiam de cauſſa pro Clericis univerſis aperuit ſcholam, ac magiſtrum aere ſuo conduxit, ut cantus, quem Gregorianum dicimus, ab iis ediſceretur: quo quidem loco non eſt praetermittendum, eum ipſum eidem cantui dediſſe operam, quamvis exili admodum & incommoda voce uſus non, quantum voluiſſet, proficere potuerit. Ita ſe geſſit in graviſſimo Parochi munere ad ann. uſque MDCCXXXIII. Eo anno acrioribus, quam antea, coepit valetudinis incommodis affici, cum ejus caput haud leviter inflammaretur. quoties aut Chriſtianae Fidei rudimenta pueris traderet, aut ſacrum ad harmoniam faceret, aut ſolemni-

bus

bus diebus populo de more benediceret, aut alios in magna praeſertim hominum frequentia hujuſmodi ritus exerceret. Conſulebant amici, nec non ipſi medici, ut ab iis per ſe obeundis abſtineret. At cum animum non poſſet inducere ſatis decere ut Parochus eſſet, neque tamen, ut putabat, parochum ageret, id potius conſilii cepit, ut eo ſe ſe toto munere abdicaret. Nunquam tamen aut ſacras Chriſtifidelium confeſſiones excipiendi, aut ſubveniendi pauperibus conſuetudinem intermiſit; quin & ſocietati, de qua diximus, ſemper ipſe, qua ſolitus fuerat, ſedulitate praeeſſe voluit. Ex eo tempore alia omnia, quae ipſi ultro oblata ſunt, munera ſuſcipere conſtantiſſime recuſavit; ac multo magis ab iis quoque majoribus, quae facillime, ſi quidem levem operam in id contuliſſet, adipiſci potuiſſet, petendis aut exoptandis abſtinuit. Anno quidem MDCCXXXIV. cum Dominicus Lazzarinius vir magni nominis in republica litterarum, qui cathedram, quam eloquentiae appellant, Patavii magna cum laude tenebat, obiiſſet, viri nobiles Veneti,

ad quos ea cura pertinebat, Muratorium ei ſubrogare exoptaſſent. Nihil enim huic a natura denegatum, nihil non a doctrina delatum exiſtimabant. Itaque curarunt, ut Apoſtolus Zenus amantiſſimus Muratorii id negotii ſuſciperet, eamque tenuerunt rationem, ut nihil honorificentius docto cuilibet homini potuiſſet accidere. Etenim de mandato ipſorum ſcribebat Muratorio Zenus, eum votis omnium ad illud munus expeti; nihil ab eo petendum, at amico tantummodo ſignificandum, ſe ſe munus a Magiſtratu oblatum haud recuſaturum; eas fore conditiones, ut neque ad honorem, neque ad utilitatem quidquam ei gratius eſſe poſſet. In ſpem venerat Zenus fore, ut Maratorius annueret, quod ea temporum conditio erat etiam Mutinae, ut quietem litteratis hominibus, quam quod maxime gratam eſſet amori patriae facile praelaturus. Verumenimvero etiam inter arma litteris locus apud Muratorium eſſe poterat, qui gratiis Zeno ac nobilibus illis viris de more actis ab Eſtenſi bibliotheca ſe ſe divelli minime paſſus eſt. Cum vero Cardinalis Proſper Lamber-

tinius ad ſummi Pontificatus apicem XIV. Kal. Septembris anni MDCCXL. ſub nomine Benedicti XVI. fuiſſet evectus, quid non ab eo vetere amicitia & familiaritate ſibi conjuncto ſperare potuiſſet noſter? Ea quidem amicitia jam anno MDCCXXVIII. ortum habuerat, ex quo tempore Lambertinius litteras ad Muratorium ſaepe dedit cum graviſſimis verbis & ſententiis perſcriptas, tum rebus ipſis & ſtudiis in eum officiiſque gratiſſimas. Prima quidem epiſtola XV. Kalen. Novembris an. MDCCXXVIII. affirmat Lambertinius, ſua quidem ſententia, Muratorium inter univerſos Italiae homines litteris deditos omnino principem habendum eſſe; id ſe ſe Romae coram graviſſimis viris ſaepenumero pronunciaſſe, nunc vero, cum typis nonnulla eſſet editurus eum ſibi optare atque ſeligere, in cujus aures omnia deſcenderent, ſapientem & aequum judicem quin & emendatorem. Alia quidem epiſtola pridie Nonas Junii anno MDCCXXXIX. Lambertinius ei ſe ſe amiciſſimum eſſe confirmat, & eumdem a ſe ſe coli, ut verum atque unicum Italiae noſtrae decus. Alia

conſonant his, quae apud Solium videre potes. Neque ſolum epiſtolis quanti faceret Muratorium Lambertinius teſtari voluit, ſed & omnibus officii ac benevolentiae ſignificationibus. Cum ab Anconitana ad Bononienſem Eccleſiam fuiſſet evectus, ad villam prope Mutinam amiciſſimi ſui Marchionis Urſii, cui tanta erat cum Muratorio neceſſitudo, conferre ſe ſe voluit per autumnum an. MDCCXXXI. quo Muratorium etiam de facie noſceret, ejuſque colloquio perfrueretur. Triduo ibi cum Urſio ac Muratorio verſatus eſt, quo tempore quae dederit in hunc amoris indicia ſignificari vix poteſt. Idem Lambertinius anno MDCCXXXII. praeſtitit, atque omnibus praeſtare voluiſſet annis, niſi acerbiſſima Urſii mors interceſſiſſet. Pontifex autem factus nunquam oblitus eſt Muratorii, quin & ſaepius de illo cum doctioribus familiaribus libentiſſime verba faciebat. Si quid in lucem edebat novi, edidit autem etiam Pontifex plura, eademque doctrinae pleniſſima, vel ſi quid elegantioribus typis imprimi denuo jubebat, ad Muratorium illico mittebat eorum librorum exempla. Iis

vero, cum mitteret, uti ſolebat verbis, ut duplicem fructum caperet Muratorius, ac ſibi in comparatione difficilem ad judicandum, amorem ne erga ſe tanti Pontificis, an graviſſimum de ſua doctrina judicium pluris aeſtimandum putaret. Saepius etiam, praecipue per Cardinalem Tamburinium de maximis rebus ad ſacram doctrinam diſciplinamve ſpectantibus eumdem conſuluit; ſaepius etiam e tanto faſtigio litteras ad eum & ipſe dedit, quarum exempla apud diligentiſſimum Solium videre potes. Mihi pauca quaedam commemorare ſufficiat ex epiſtola XII. Kal. Novembris an. MDCCXLIV. ad eum data, cum ei gratias agenti propter libros ſibi miſſos *de Canonizatione Sanctorum* humaniſſime reſpondere voluiſſet. Illum enim & plurimi ſemper aeſtimatum ac dilectum a ſe fuiſſe, quemadmodum & aeſtimari & diligi affirmat; cum & *bonus ille ſit Sacerdos & in rebus ad litteras pertinentibus Italiae ſit decus*. Ei enim deberi dicit, quod Italia non modo aequet, ſed etiam ſuperet caeteras Europae partes, quae nimis arroganter ſuos tantummodo ſapere ja-

ctabant; quin & cum quaedam de ſuis inter tot curas orbis ſibi commiſſi ſtudiis verba feciſſet, addit ad extremum ſe ſe id eo feciſſe, *ut bono magiſtro ſtudiorum ſuorum rationem aperiret.* Suis autem in libris & Cardinalis & Pontifex Summus nunquam niſi honoris cauſſa Mutatorium appellavit; quin & iis extulit laudibus, ut in omni ferme re primas eidem deferre videretur. Neque vero in verbis dumtaxat conſtitit Benedicti in Muratorium amor, at quidquid unquam hujus nomine rogatum eſt ſtatim ille conceſſit. Nihil enimvero aut ad ſuam dignitatem augendam, aut ad divitias exaggerandas ab eo Muratorius petiit, ſed ea fere, quae vel Parochorum Mutinenſium decori, vel amicorum commodis, vel aliorum aeternae ſaluti conducere videbantur. Eamdem ille modeſtiam ſemper prae ſe tulit, cum unus factus eſt ex familiariſſimis atque intimis Raynaldi I. poſteaque Franciſci III. Mutinenſium Ducis. Ii tamen ad eum ornandum, ejuſque vel rem familiarem vel dignitatem amplificandam non levia beneficia contulerunt, quantique facerent tantum

virum non modo litteris ad eum datis, ſed & aliis habitis honoribus non ſemel demonſtrarunt. Praecipue Franciſcus, qui fuerat in philoſophia, quae pertinet ad mores, a noſtro inſtitutus, litteratoſque homines magno ſemper habere viſus eſt in pretio, non ſemel quid Muratorio tribueret palam oſtendit. Sed & Fridericus Regius Poloniae, nec non Electoralis, ut vocant, Saxiae Princeps cum anno MDCCXXXIX. per tres dies Mutinae ſubſtitiſſet, & in colloquium ejus quotidie venire voluit, & aureo numiſmate diſcedens eumdem donavit. Verum id fortaſſe levius. Anno MDCCXLII. Marchio de Ormea, qui tantum apud Sardorum Regem vel auctoritate vel gratia poterat, Muratorium ſaepius humaniſſimis litteris invitavit, ut ſe ſe Auguſtam Taurinorum conferret honorifico ibi muneri praeficiendus. Ingens autem offerebat ſtipendium & omnia tum urbis tum ruris commoda atque delicias; quibus ille ſe ſe in ſuo nido mediocritate ſua contentum emori velle conſtanter reſpondit. Hoc quidem in loco memorandum eſt, quod etiam alibi dicturi ſumus, Muratorium ab ipſo Re-

ge Sardorum Carolo Emmanuele III. magno ſemper in pretio fuiſſe habitum, illudque addendum, tantum Regem, cum eodem anno MDCCXLII. ſuis & Auſtriacis armis Mutinenſem occupaſſet ditionem, ſaepius Muratorium colloqui voluiſſe. Ipſe Rex, cum aliquando in Muratorium extra Mutinae muros incidiſſet, non ſolum amiciſſime valere juſſit, ſed ut ad ſe rediret ſuismet ipſe verbis invitavit, ac nunquam omiſit, quin eidem pluribus rationibus quanti faceret ejus doctrinam, coram omnibus oſtenderet, qua quidem gratia uſus non eſt Muratorius, niſi ad domini ſui patriaeque utilitates in eo graviſſimo bello procurandas. Nimirum duo dumtaxat Muratorio cordi fuiſſe videntur, ut & ea ratione vitam traduceret, qua Catholicum deceret Sacerdotem, & quantum poſſet in optimis artibus diſciplinisque proficeret. At Sacerdotes & Parochos optimos, qui omnem ſuae vitae rationem ad Evangelii normam componerent, omnis tulit aetas: homines autem ipſa doctrina ſimiles & omnino paucae fuerunt & paucos. Sane vidimus Benedicti XIV. fuiſſe judicium, ne-

minem iis temporibus in Italia potuiſſe cum noſtro verae germanaeque doctrinae gloria comparari; Maffeii quoque fuit * & aliorum hominum, quibus ea de re ſententiam quaſi jure ſuo ferre licuiſſet. At ſiquis & Benedictum & eos, de quibus loquimur, amicitiae fortaſſe quidpiam tribuentes modum in iis laudibus aliquantulum exceſſiſſe velit, praeſertim quod Marchio Scipio Maſſejus tantum litterariae reipublicae praeſidium ac decus, eadem vivebat aetate, non equidem magnopere repugnabo. Ille tamen mihi concedat neceſſe eſt, Muratorium ſin minus omnino principem, unum certe ex principibus fuiſſe viris, qui vel hac vel retroactis aetatibus & Italiae ornamento & litteris ipſis emolumento fuerint. Poſſem hoc loco, ſi vellem, plurimos in hanc rem ex omnibus gentibus doctiſſimos homines anteſtari, qui de Muratorii ſcientia praeclare ſenſerint, & ejus amicitiam ſibi concupie-

* Vide ejus epiſtolam ad Muratorium apud Solium *Vita del Muratori Cap. XV.*

rint, ac per epiſtolas de graviſſimis rebus non raro conſuluerint. Poſſem de nobiliſſimis viris inſtituere ſermonem, qui per Italiam iter facientes Mutinae ſubſtiterunt, ut cum eo jungerent amicitiam, ejuſque colloquio perfruerentur. Poſſem etiam de pluribus loqui coetibus doctorum hominum, quos Academiarum nomine decorare conſuevimus, qui Muratorium habere ſocium ultro exoptarunt; quin & honoribus fere inuſitatis proſequuti ſunt; ex quibus Regia Londinenſis Academia ipſum Italum hominem Sacerdotemque Catholicum, quod iis temporibus magis quam noſtris mirum videri poterat, ſuos inter ſocios cooptavit; Albrizziana Societas Venetiis in ejuſdem decus anno MDCCXXIX. argenteum numiſma cudi juſſit, & Columbaria Florentiae ipſius adhuc viventis dedicavit imaginem; poſſem & bene multos appellare, qui cum ederent libros, eum ipſis patronum exoptarunt, eoſdem illi inſcribentes, quae fuſius a Solio omnia commemorantur. At vel utilitatis nihil vel jucunditatis parum ea mihi habere videretur oratio, cum temporibus, queis

iſta ſcribimus, nemo qui litteratus aut eſſe, aut haberi velit, non facile aſſentiatur idem fere Muratorii eſſe nomen ac politioris eruditionis atque doctrinae. Ut vero tantus evaderet noſter contulit ſine dubio acerrima quaedam ingenii vis, menſque divinior ad veritatis inquiſitionem omnino facta: qua quidem ille res, de quibus aliquid eſſet ſibi ſcribendum, ita complectebatur animo, ut nunquam neceſſe habuerit, ſive rerum, quam vocant ſylvam, rerumque molem indigeſtam in adverſaria conferre, quam poſtea limae labor ac mora perpoliret, ſive uni tantum vacare argumento, cum potius eodem tempore duobus aut etiam pluribus elaborandis operibus invigilaret: contulit incredibilis quaedam memoria, qua quidquid legerat (quis autem plus illo legerat?) ita mente cuſtodiebat, ut ipſum *bibliothecam viventem* appellare, niſi fuiſſet ea formula per optimum ſane judicem reprehenſa, fortaſſe animus ferret: qua quidem de re litteris mandatum accepimus, numeros ipſos & annorum notas, ſi quidem eas vel ſemel in aliquo libro perlegiſſet, mente ita tenuiſſe,

ut etiam cum libros ille conſcriberet, ad fontem recurrendi neceſſitatem plerumque minime paſſus fuerit. Verumenimvero contulit etiam aſſiduus labor, quo litteris ita vacavit, ut equidem neſciam, an poſt hominum memoriam aliquis Muratorium diligentia vicerit, aut etiam aequaverit. Quo liberaliſſimis hiſce ſtudiis navaret operam, non modo noxiis a voluptatibus per omne tempus aetatis abhorruit, ſed ab aliis quoque temperavit honeſto quovis homine dignis. Aliquando mane veniebat ad amicos ut ab iis reſciret, quid in terrarum orbe gereretur; unius horae ſpatio, vel certe paullo majore, animi ſeu potius valetudinis cauſſa cum Julio Mareſcottio viro nobili Mutinenſi amiciſſimo ſuo, quandoque cum aliis etiam aut per urbem aut extra urbis moenia veſpere deambulabat. Per ver & per autumnum ruſticari conſueverat, ita tamen ut nunquam libris nuncium mitteret, ſine quibus ne vitam quidem exiſtimaſſet aliquid habere jucunditatis. Haec unica erant a graviſſimis animi corporiſque laboribus Muratorio ſolatia. Nunquam conviviis niſi pla-

ne invitus atque ut aliis morem gereret, interfuit, nunquam aut ſomno indulſit, aut vinis, aut cibis. Multo ante ſolis ortum etiam hieme ſurgebat mane; quin & ſi quando, cum in lectulo eſſet, non ita cito ſomnum eſſe capturus ſibi videbatur, inutilem eam temporis jacturam ratus, ſe ſe veſtibus induebat & conferebat ad libros. At ne res omnino minutas & exiguas, quod fortaſſe quibuſdam vitarum clarorum hominum ſcriptoribus poteſt vitio dari, perſequi videar, omnia complectar, ſi Muratorium ferme duodenas horas quotidie, niſi cum neceſſariis, praeſertim Parochum agens, interpellabatur curis, tribuiſſe litteris dixero. Ea quidem ille honeſtiſſima ratione vitam agens ad ſummam pervenit ſenectutem. Sed jam lectorem ego meum nimis fortaſſe moror, quid tandem ſcripſerit Muratorius & quid ad litterarum incrementum ille praeſtiterit, ſcire cupientem. Mihi quidem videor ipſi Lectori multo magis eſſe ſatisfacturus, ſi non temporum, quibus ille ſcripſit, niſi cum id commodiſſime fieri ex aliqua parte poſſit, verum ipſarum ordinem rerum teneam ac-

curatius. Itaque de ſingulis agam diſciplinis, quas quidem Muratorius excoluit ac de libris ad ſingulas pertinentibus; quo loco etiam, ne ſaepius iisdem de rebus occurrat oratio, quos ii libri, ſaltem dum vixit Muratorius, oppugnatores habuerint, quarumque controverſiarum ipſi cum claris aut certe famoſis hominibus, occaſionem praebuerint, enarrabo. Antea tamen mihi viſum eſt de *Republica Litterarum* verba facere; de qua conſtituenda plures per annos cum ſummis viris egit, quod & diſciplinas omnes illa reſpublica complecti debuerit ingenuo doctoque homine dignas, & de univerſis differendi diſciplinis, easdemque ſapientiſſimis omnino monitis inſtruendi opportunitatem Muratorio tribuerit. Itaque Muratorius aetatis hujus initio, cum a Gallis Mutina teneretur, nec fortaſſe, quantam voluiſſet, codicibus antiquis operam dare poſſet, plura ſecum animo volvit de republica ſeu ſocietate doctorum hominum in Italia conſtituenda, quae litterarum incremento ſtuderet ac gloriae. Ut quidquid ea de re commentatus erat, omnibus notum faceret

ſub Lamindi Pritanii nomine latere voluit. Scripta vero ſua edenda curabat per Bernardum Treviſanium Venetum Patritium, doctrinae gloria florentem, ac ſibi multis juſtiſſimiſque de cauſſis amiciſſimum. At principio quidem ipſi Treviſanio ignotus eſſe voluit. Itaque litteras ad eum dabat ſub Antonii Lampridii nomine, qui Bononiam incoleret. In ea urbe Franciſcus Bottazonius, vir editis in Urſii defenſionem libris doctos inter homines & ipſe doctrinae laude praeſtans, cum totius rei conſcius eſſet, epiſtolas recipiebat, ac Mutinam aut Venetias mittebat ultro citroque datas. Liber Lamindi Pritanii, qui primum Venetiis opera Bernardi Treviſanii prodiit anno MDCCIII, de primis erat ejus Reipublicae quaſi lineamentis *. Fingit in eo Muratorius conſilium de hujuſmodi Republica conſtituenda dudum fuiſſe doctos inter homines initum, ac ſe

* *I primi diſegni della Repubblica letteraria d'Italia rubati al ſegreto, e donati alla curioſità degli altri eruditi da Lamindo Pritanio*. Melior fortuna ſequetur. *In Napoli* (*Venezia*) 1703. *in* 8. *di pag.* 96.

publici juris ea facere, quae jam in manus doctorum plurium iis aſſentientium privato ſtudio deſcripta pervenerant. Ergo cum de Academiis, ut vulgo dicuntur, in Italia uſitatis, at exiguo cum fructu litterarum, verba feciſſet, & qua ratione reformari poſſent oſtendiſſet, de qua tamen re omnino deſperare videtur; Rempublicam conſtituendam vult eſſe foedus praecipuorum hominum cujusvis conditionis aut gradus quamlibet liberalem artem aut ſcientiam profitentium. Multos nominatim profert eruditos viros, qui jam huic foederi componendo conſenſerint. Eam vero Rempublicam nulli certo Italiae loco aſſignat, ſed ex provinciis omnino quinque coaleſcere debere ſtatuit; *Regia* nempe Neapolis ac Siciliae regna complectente, *Pontificia*, *Etruſca*, *Veneta* ac *Longobarda*: formam regiminis Ariſtocraticam eſſe debere; qui magnum ſibi libris editis aut edendis aut alia ratione doctrinae nomen gloriamque pepererint, *Arcontes* in ea dicendos, & *clariſſimorum* etiam appellatione decorandos: magiſtratus autem efforman-
dos,

dos, ex *primo Arconte*; quinque *Conſiliariis*, *Cenſoribus* duobus & homine uno, qui ſit *a ſecretis*: horum omnium munus ad triennium eſſe producendum: primum autem Arcontem ex quinque provinciis eſſe eligendum hoc ſtatuto, ut ex tribus aliorum Arcontum partibus duae ſaltem in eligendum conſentiant: ab illo autem Arconte alium, qui ſit a ſecretis, eſſe renunciandum. Haec de primis Magiſtratibus, quorum omnium munera deſignat, multaſque proponit leges ad reipublicae bonum non leviter facientes. At ſub ordine Arcontum duos alios dicit inſtituendos; unum ex hominibus, qui litteris apprime faveant, at pluribus de cauſſis impediti non poſſint, ut vellent, multum operae in easdem impendere: alterum ex juvenibus acri praeditis ingenio, ſtudioque deditis, qui magnam excitent expectationem ſui, quos *Candidatos* appellari poſſe dicit: & ex iis aliquando Arcontes deligendos fore. Deinde de fine copioſe diſputat ipſi reipublicae propoſito, hoc eſt de litteris qua repurgandis, qua perpoliendis ac perficiendis; quo loco optima proponit explicatque praecepta de ſin-

gulis diſciplinis & artibus verba faciens, ut non modo in nulla ex illis eum rudem fuiſſe videas aut hoſpitem, ſed quam emunctas habuerit nares prudensque judicium, facile colligas. Sed quoniam honos alit artes, jacentque ea ſemper, quae magnis patrociniis haud ſuſtentantur, principes Italiae viros, Clementem XI. Pontificem Maximum, Venetam Rempublicam, Coſmum III. magnum Etruriae Ducem, Raynaldum I. Mutinenſium, ac Franciſcum I. Parmenſium Duces ejus reipublicae *perpetuos Protectores* vult eſſe appellandos, ex iis unum per tres annos *Magni Protectoris* nomine decorandum, & caput reipublicae futurum; quod munus deinde in ſingulos alios ex ordine transferatur. Vult etiam a primo Arconte Arconti alii committendum, ut reipublicae contexat hiſtoriam, de libris ſociorum diſſerat, qui in lucem deinceps emittantur, vitam eorumdem deſcribat, quae tamen non debeat niſi poſt illorum mortem edi: hiſtoriam vero poſt tertium quemlibet annum imprimendam: ad primum Arcontem referri oportere, ſi quis novum aliquid in aliqua ſive arte ſive ſcien-

tia excogitaverit, de quo tamen ipſe librum conſcribere aut per otium non poſſit aut nolit; & ad eum pertinere, ut alii, quem magis idoneum judicet, ejus rei perfectionem committat. Praeterea de Academiis, de hominum ſacris ordinibus addictorum ſcholis, de publicis gymnaſiis reformandis, de typis dirigendis, de condendis ephemeridibus litterariis multa ſcribit a ſua republica curanda, quę ſine dubio in magnam bonarum artium gloriam conducere viderentur. Alia omittimus quae de concordia praecipit inter ſocios ſervanda, de ſatyris interdicendis ac ceteris, ut brevitati ſerviamus. Cum libellus, de quo loquuti ſumus hactenus, omnino publici juris factus eſt, quod non ante annum MDCCIV. accidit, magnus de illo per omnem Italiam rumor extitit, ac variae fuerunt hominum diſcrepanteſque ſententiae. Quis ille Pritanius eſſet, plurimi coeperunt curioſius inquirere, neque tamen unquam ea de re certiores per ea tempora fieri potuerunt. Nonnulli Bernardum ipſum Treviſanium ſub eo nomine latere putarunt, quos inter fuit Apoſtolus Zenus, ac demum

Actorum Lipſienſium auctores. Aliqui ſaltem illum eſſe totius negotii participem, & ſcriptis ad eam rempublicam pertinentibus & imprimendis & evulgandis operam dare collegerunt: quibus auditis, ille multo cautius in poſterum eſſe ſibi agendum duxit. Nemo quidquam de Muratorio ſuſpicatus eſt. Hinc plures ad eum docti homines dedére litteras, ut ipſius de tota re ſententiam exquirerent: quibus univerſis ita reſpondebat, ut iis aut animos adderet, aut eos confirmaret aut hortaretur, ut operam rei navarent magno Italiae decori ac bono futurae. Sed quod pertinet ad rem ipſam, hujuſmodi reipublicae conſtituendae fuiſſe conſilium revera initum, doctis hominibus bene multis, praecipue Neapolitanis perſuaſum eſt. Aliqui auctoris inſtitutum collaudarunt, litteraſque juvandi deſiderium. Aliqui de eo palam obloquuti ſunt, ac plurima in eo libello reprehenſione digniſſima ſe ſe deprehendiſſe clamitarunt. Inter cetera vituperabant, quod humanae gloriae conſecutionem a Lamindo reipublicae ſuae finem proponi crederent; quod in Arcontum indice plures omiſſi fue-

rint eo honore digni, plures etiam deſcripti, qui minus digni viderentur, quod ipſa nomina Arcontum & Candidatorum puerilia viderentur, qualia quae in ſcholis ad adoleſcentum aemulationem excitandam adhibentur: demum quod perperam ille finxiſſet, plures homines doctos ſua cogitata probaviſſe, cum de iis nihil omnino ſciverint. At majorem Pritanio creavit invidiam, quod poſt eum libellum *Epiſtola* miſſa fuerit ad omnes aut ſaltem celebriores Italiae Arcontes, in qua praeter cetera ii rogabantur, ut ſententias quiſque ſuas de nova republica mandaret litteris, ac Franciſco Blanchinio tum dignitate tum doctrinae gloria in Aula Romana florenti ſignificaret, qui naſcentis ipſius reipublicae veluti cuſtos eſſet. Hic enim totam eam rem accepit in malam partem, ac pluribus epiſtolis ad amicos hujuſmodi onus ſuſcipere ſe ſe velle aut poſſe negavit. Hinc igitur in Pritanium querela mota eſt, quod tam difficile munus graviſſimo viro, non obtenta facultate, imo ne explorata quidem ejus voluntate, commiſerit. Cum id reſciſſet Muratorius, neque ta-

men ſe reſciſſe oſtenderet, ſuomet ipſe nomine litteras ad Blanchinium dare auſus eſt, ut quid de republica illa Pritanii conſtituenda opinaretur, eidem communicaret, eumdemque ad pulcherrimum inſtitutum ſua quoque operá juvandum hortaretur. Scripſerunt etiam ea de re Blanchinio tum Marchio Urſius, tum Abbas Bacchinius, doctiſſimi graviſſimique homines. Iis omnibus anno MDCCV. ita reſpondit Blanchinius, ut omnem, quam forte conceperant, de illo in ſuas partes pertrahendo ſpem prorſus ademerit *. Per idem fere tempus aliquot Itali doctrina praeſtantes, qui conſtitui Pritanii rempublicam omnino voluiſſent, id moliebantur, ut quoniam Blanchinius nollet, alius deſignaretur, qui *Cuſtodis*, quod dicebamus, munus libenti animo ſuſciperet. Neapoli vir doctus ad Bernardum Treviſanium ſcripſit; quoniam Summus Pontifex, nec non Maurocenus Venetorum Romae Legatus, aliique viri prin-

* Epiſtolam hac de re Blanchinii ad Muratorium legere potes apud Solium: *Vita del Muratori Append. Num. III.*

cipes in Italia conſtituendae reipublicae fa- vebant, tentandum eſſe, an Joannes Maria Lanciſius Summi Pontificis Archiater littera- rum gloria celeberrimus ſe ſe *Cuſtodem Ar- contem* renunciari ſineret *. Alii docti viri primo Lanciſium ipſum, deinde Dominicum Paſſioneum ac Juſtum Fontaninium propone- bant. Hi duo poſtremi Lanciſium eo demum impulerunt, ut demandatam a Lamindo Pri- tanio provinciam pro ſuo in litteras amore ſuſciperet; quod ſtatim univerſis per Italiam Arcontibus nunciatum eſt. Quamvis autem ex Blanchinii litteris atque ſermonibus foe- dus a Lamindo nunciatum eſſe commenti- tium multi ſuſpicarentur, de die in diem creſcebat eorum numerus, qui rem ipſam at- que conſilium ſummopere collaudarent; quin & plures, qui nondum Arcontum nomine inſigniti fuerant, ut inſignirentur, ope ami- corum a Treviſanio contendebant. At Mu- ratorius cum Blanchinio vidiſſet menda- cium ſuum, quamvis nemini noxium, quin

* Vide epiſtolam ap. Solium in Append. Num. V.

& mendacii nomine non omnino dignum, ſummopere diſplicuiſſe, cogitare coepit, ſatius ad litterarum incrementum fore, ſi quidquid ipſe finxerat, aperiret, ac ſine ulla quamvis leviſſima ſpecie fraudis conſilium ſuum de doctis hominibus, quantum fieri poſſet, in unam ſocietatem conjungendis promoveret. Aliam eo rationem acceſſiſſe ſcribit Solius; quod nempe vidiſſet Muratorius jam ſibi non eſſe integrum ut impediret, quominus iis, quae mittebat ad Bernardum Trevisanium imprimenda, ſcriptis aliqua ille demeret, aliqua adderet, aut immutaret. Id autem noviſſime acciderat in chartis quibuſdam ad idem reipublicae inſtitutum ſpectantibus impreſſis, non ſine doctorum quorumdam hominum ipſiuſque Lamindi Pritanii querela. Quamobrem Treviſanius eas chartas deinde ſupprimere conatus eſt, ut eas invenire poſtmodum valde difficile fuerit. Continebant eae quatuor epiſtolas aliorum nomine a Muratorio ſcriptas, unam Treviſanii, novorum Arcontum indicem, & neſcio quos Italicos verſus. Omnia autem eo collimabant, ut qui reipu-

blicae nomen dederant, confirmarentur, & aliorum, ſi fieri poſſet, animi accenderentur ac voluntates. Jam vero hiſce de cauſſis non amplius quidquam eſſe ſibi fingendum de toto litterariae reipublicae negotio ratus eſt Pritanius. Hinc aliam edidit ipſius Treviſanii, quamvis inviti, opera longam eamdemque modeſtiſſimam epiſtolam, ut omni ſe ſe invidia liberaret. Probabiliter ad omnia reſpondet, de quibus accuſabatur. Cauſſas aperit, propter quas illa finxerit de litteratis hominibus, qui ſuae reipublicae nomen dederint. Quod gravius videbatur, rationem affert, quamobrem magni nominis dignitatiſque virum inconſultum deſignaverit, ad quem ſpectaverit hominum eruditorum de novae reipublicae inſtituto ſuffragia Romae potiſſimum, hoc eſt in urbe, ut ille ait, omnium eruditiſſima, colligere. Valde Muratorio diſplicuit, quod huic etiam epiſtolae Treviſanius de ſuo quaedam inſeruiſſet cum reliquis manifeſte pugnantia. Et ea quidem a Treviſanio addita nonnullis etiam Italis litteratis viris movere ſtomachum, perinde ac ſi Pritanius, quo tempore magis

videri volebat ingenuus ac modeſtus, non ſine aliquo graviſſimorum virorum contemptu confidentiſſime luderet. Hinc Muratorius omnino vetuit Treviſanio, ne duas alias typis vulgandas curaret epiſtolas eidem ea de cauſſa dudum ſubmiſſas, quarum altera ad Clementem XI. inſcribebatur, altera ad univerſos, *quocumque demum appellatos nomine*, *qui religioſis ordinibus in Italia praeſident*. Poſtrema haec epiſtola, quam librum verius fortaſſe dixeris, quod non ſit ita brevis, ut epiſtolae modus ferre ſolet, poſt Muratorii obitum in *appendice* ad ejus *Vitam* a Solio conſcriptam, quam ſaepe laudavimus, primo lucem vidit *; qua quidem in re doctiſſimi ac diligentiſſimi viri conſilium omnino probo. Nihil enim ea gravius, nihil doctius, nihil ad eorum, qui ſacris ordinibus dedere nomen, animos ſcientiae cujusvis amore inflammandos opportunius excogitari aut litteris conſignari potuiſſet. Quod utinam aſſidue illam haberent in manibus, at multo magis infixa gererent animis ſa-

* In Append. Num. VII.

pientiſſima, queis abundat, monita homines aliquot ex iis, quos Pritanius alloquitur! Nae illi multo melius & ordinibus, quibus praeſunt, aut quorum membra exiſtunt, & ſui nominis gloriae, quin & univerſae Chriſtianorum reipublicae conſulerent. Neque enim huic quandoque, magno ac vix ferendo, ut ſunt, eſſent oneri, ſed & ornamento non levi, ut eſſe deberent, & certiſſimae utilitati. Sed illuc redeamus, unde digreſſi ſumus. Epiſtola, quam diximus dudum Treviſanii curis impreſſam, anno MDCCV. edita eſt. Ex eo ferme tempore de Muratorii republica, non ſecus ac de aliis Platonis, aut Felenonii, vel de foedere Abbatis S. Petri tranſactum eſſe videbatur. Ludere voluiſſe in hoc toto negotio Muratorium, ſimulque litterarum amorem in Italis excitare ſcribit Solius. Alterum equidem vereor ut ita ſit; de altero nullus dubito. Sane conſecutis annis ea ſcripſit Ludovicus Antonius, quae cum ad litterarum incrementum vel maxime conducerent, tum etiam non eſſe in eo prorſus extinctam ſpem, aut certe deſiderium tam praeclari foederis doctos in-

ter homines componendi manifeſte declarant. Huc enim ſine dubio facit aureus ille Muratorii liber, *cogitata de ſano in diſciplinis atque artibus ſenſu* complexus *, ſcriptus Italice, cujus *primam partem* Treviſanius Venetiis anno MDCCVIII. emiſit in vulgus. Huic libro praemittitur ipſius Bernardi Treviſanii, cui certe ſapiens erat exquiſitumque judicium, neque levis in omnibus diſciplinis exercitatio, prooemium omnibus numeris abſolutum. Agit enim in eo de rebus, ex quibus ille ſenſus coaleſcit, generali quadam ratione, quam θεωρετικην dixere Graeci, conſiderato. Liber autem in eo totus eſt, ut quae natura ipſa magiſtra facile diſcimus, in morem uſumque convertat atque derivet. Ceterum cum prior haec libri, de quo loquimur, pars vulgata eſt, plures litterati homines Treviſanio, non ſecus ac ſi totius fuiſſet auctor ac parens, gratulabantur; quod ille genus officii mini-

* *Rifleſſioni ſopra il buon Guſto intorno le ſcienze a le arti di Lamindo Pritanio. In Venezia* 1708.

me reſpuere videbatur. In ea fuerunt etiam opinione Lipſienſium Actorum ſcriptores ad annum MDCCXV.* Sed ne ipſe quidem Treviſanius, quis Pritanius eſſet, adhuc noverat. Se ſe manifeſtavit ei Muratorius ſub initium anni MDCCIX. cum alteram partem ipſi ſubmitteret ejuſdem libri Venetis typis imprimendam, priorique jungendam. Humaniſſimis litteris ei Treviſanius reſpondit, eidemque ſe jus omne atque officium amicitiae, tum quae cum Lampridio, tum quae cum Muratorio interceſſerat, ſemper eſſe praeſtiturum ſignificavit. Neſcio tamen qua de cauſſa ſcriptis iis a Muratorio tranſmiſſis evulgandis operam dare noluit, quin &, ne Venetiis aliorum curis evulgarentur, omnino prohibuit. Hinc enim vero factum eſt, ut ea pars altera non pervenerit in manus hominum ante annum MDCCXV. quo Blaſius Majolius de Avitabile vir litteris apprime deditus a Muratorio impetratam typis per Benedictum Marcum Benaudium Neapoli, quamvis Coloniae nomen praetexere-

* *Vid. Tom. VI. Suppl. p. 506.*

tur, ſimul cum illa, de qua dudum verba fecimus, priore parte, mandari curavit. Totus autem liber praelum ſaepiſſime ſubiit: neque mirum; eſt enim unum ex optimis Muratorianis. Diximus autem & ipſum ad Pritanii pertinere rempublicam, tum quod illi priori parti novus index ſubjectus fuerit Arcontum Italiae primo illo valde numeroſior; tum quod primo capite quidquid erat de republica eadem propoſitum ab iis, quae contra opponebantur, ſtudioſe vindicatur. Multos ex doctiſſimis Italis ea probaviſſe dicit, nec dubitare, quominus auctoritatem illi nomenque ſuum impertirentur: principes quoque viros ea de re interpellatos ſpopondiſſe, eam ſe ſe protecturos eſſe ac promoturos. Tum ea ſummovere conatur, quae ingenia quaedam fortaſſe timidiora impedire videbantur, ne quod propoſitum fuerat amplecterentur. Hinc aperit ſibi viam, ut doceat, quid ab Arcontibus novae reipublicae ſpectandum ſit ad litterarum & diſciplinarum omnium incrementum ac decus. At de ipſo in rebus ad litteras pertinentibus optimo dijudicandi ſenſu, quem

Guſtum Itali appellant, per univerſum opus copioſe diſputat. Duplicem autem eum eſſe ſtatuit, & eum ſcilicet, quem *generalem* nuncupat, & ad omnia pertinere genera doctrinarum affirmat, & eum quem *particularem* vocat in ſingulis diſciplinis verſatum, neque fines illarum facile praetergreſſum. De magno ingenio, de prompta memoria, de ardente voluntate agit; quae omnia ad illum ſibi comparandum neceſſario quis debeat afferre. De memoria differens, quam vana ſit omnis ejuſdem ars patefacit, cum valde facilius ſit quae velis recordari, quam iiſdem ſtare praeceptis ac regulis. Tum quibus rationibus poſſit ſanus ille ſenſus facilius acquiri, quae ſint ab ejus conſecutione impedientia, perſequitur. Mira quaedam de libris habet, qui ſolent aetate noſtra elucubrari. Ephemerides litteratorum, quas magna cum diligentia conſcribi ipſi erat in votis, optimis munit inſtitutis, ut vitia, quibus hoc ſcriptorum genus abundat, eliminentur. Vitia demum plurimorum litteratorum hominum exagitat, oppoſitasque virtutes commendat. De philoſophia ita diſſe-

rit, ut Ariſtotelem minime contemnat, ſed animum a praejudicatis ſcholarum opinionibus omnino prae ſe ferat vacuum, ac recentiorum inventa, mathematicas diſciplinas, phyſicam praecipue experimentis innixam omnino probat. Theologiam vero nollet ille, quod fieri conſueverat, in vanis omnino futilibusque verſari quaeſtionibus exile quoddam ſequentem atque ſpinoſum diſputandi genus. Eam videlicet ad originem ſuam referri vellet, ut divinarum Scripturarum ſanctorumque Patrum ſententias magna cum ſedulitate perſcrutetur, ut hinc ea colligat, quae poſſunt iis de rebus liquidius judicari. De ceteris diſciplinis ita loquitur, ut optimas earum regulas non modo percurſas animo ac prope decantatas habere videretur, ſed & nova quaedam de ſuo protulerit ad eas illuſtrandas, & ex magiſtrorum, qui tunc Italorum tenebant aures, vel inſcitia, vel neſcio qua ſuperſtitione vindicandas. Itaque negari non poteſt, quin etiam noſtro non levem illae dignitatis, qua nunc perfruuntur, partem referre debeant acceptam. Quamvis autem, ut ipſe poſt plurimos

mos annos ad Vernejum ſcribebat, *invidiam ſubierit apud nonnullos pertinaces adhuc barbaricae methodi ſectatores... brevi, iniquis, clamoribus factus eſt finis*. Demum hoc loco memorandum Lamindi Pritanii laborum fuiſſe fructum libellum omnino brevem anno MDCCIX. vulgatum, ſed tamen ab aequis rerum aeſtimatoribus non levi habitum in pretio. Inſcribitur is *de recte inſtituenda Juris Academia ad Lamindum Pritanium nobiliſſimum & eruditiſſimum virum epiſtola*. Auctorem ejus principio latentem fuiſſe Antonium Gattium omnes norunt. Ea non Venetiis, ut fert titulus, at Papiae impreſſa eſt. Scriptor juris prudentiae Doctor fingit ſe ſe exterum eſſe hominem, & fama Lamindi Pritanii ejuſdemque reipublicae commotum ipſi ſcribere, ut quod ille cupierat, quid in Italorum juris prudentia corrigendum ſit, aperiat. At ex eo tempore nihil amplius de Pritanii republica litteris eſt mandatum, quod quidem poſteritatis memoria dignius eſſe videretur. His igitur omiſſis, de ſingulis diſciplinis, quas quidem excoluit Muratorius, diligentius dicturi, primo quid in poeſi po-

tuerit, enarremus. Ille quidem non tam artis poeticae gloria praeſtitit, quae molitur aliquid & efficit ingenioſius, quam ejus, quae quid faciendum ſit ſapienter admonet, ac de factis recte dijudicat. Ejus carmina, tum quae in obitu Caroli Mariae Maggii profudit, ejuſdemque vitae adjecit, tum quae Gobbius, Creſcimbenius, ac demum Lucenſis editor collegit, tum quae, Neapolitanis efflagitantibus, anno MDCCXLIII. ac tribus aliis conſecutis de Virgine Deipara ſine labe concepta publici juris fecit, tum alia etiam ejuſmodi ſunt, meo quidem judicio, ut neque illa contemnas, neque vero ſummopere laudes. Quamobrem cum ſine iſtis coena (abſit invidia verbo) duci poſſit, ac mediocribus eſſe poetis nemo concedat, non ex hac videlicet parte Ludovicum noſtrum vehementer admireris. Illi fortaſſe tot aliis occupato ſtudiis curiſque diſtento vacuus animus, & ipſa defuit patientior exercitatio; fortaſſe liberior quaedam atque ferventior vis imaginandi defuit, quamvis alia ſubtilius intelligendi nunquam ſine dubio defuerit. At poeſeos criticam, ſi fas eſt ita lo-

qui, ſic tenuit artem, ut etiamſi non alia ſcientia praeſtitiſſet, inter eos, qui noſtrae Italiae non levi fuerint ornamento, ſcriptores numerandus merito videretur. Sane Muratorius in libris *de Perfecta Poeſi Italica* anno MDCCVI. primum editis permulta attulit, quae nemo ante animadverterat, praecipue ad lyricam poeſim pertinentia, de qua non ita multa vel ipſe Ariſtoteles ac reliqui antiquitatis magiſtri tantopere celebrati. Opus autem univerſum in duo volumina, ſingula vero volumina duos diſtribuuntur in libros. Quid in iis contineatur, paullo fuſius exponam, quod nullum opus Muratorianum, ea ſi demas, quae de celeberrimo Voto *Sanguinario* per Theologos nuncupato agunt, aut plures aut acriores adverſarios habuerit; nullum fere tanti nominis viros ex aliqua parte oppugnatores. In primo non pauca eademque prorſus nova proferuntur hiſtoriam Italicae poeſeos mirum in modum illuſtrantia. Oſtenditur etiam Gallos, Fontenellium, Boelojum, Bailletium, quae pertinent ad ipſam, non admodum tenuiſſe. Probat autem Gallicam poeſim, quae tantummo-

do poſt dimidium ſaeculum XVI. majus aliquid potuit, ex Italica effloruiſſe: falſos ac nimio fuco illitos mentium conceptus poſt annum MDC. per univerſam Europam, non minus quam per Italiam, ruptis habenis, fuiſſe vagatos: Lopium de Vega poetam Hiſpanum, ex praecipuis tam pravae ſcribendi rationis propagatoribus unum, ante noſtrum equitem Marinium floruiſſe: hunc autem & per tempus non ita breve, & non ſine magna celebritate nominis in media Gallia fuiſſe verſatum. Tum de fine poeſeos multa differit, quo loco philoſophum agnoſcas, quo nemo ſit vel auctoritate gravior, vel humanitate politior. Hinc de ſano in carminibus dijudicandis ſenſu (*guſtum* diximus ab Italis appellatum) cum de eo quem *ſterilem*, tum de eo quem *foecundum*, aut quem *generalem*, aut *particularem* vocat; quemadmodum quid ſit pulchrum illud & in *materia* poſitum & in *artificio*, quod poetae ſequuntur, ſtudioſe diſquirit. Putat enim bonum poetam id ſpectare, ut naturam perficiat, aut verum quaerat certum, aut ſaltem credibile, quod poſtremum nomine ve-

riſimilis donat; opinionem autem improbat multorum ac praecipue Sfortiae Pallavicinii, cum nunquam ſive mentiendi ſive fallendi finem poetae bono propoſitum eſſe dicat. Hoc etiam in libro quid agat in poeſi vis imaginandi, quam φαντασιαν appellavere Graeci, ab ingenio per ipſum judicioque disjuncta, & quid idola vel imagines rerum, tum quas *phantaſticas*, ille *ſimplices*, tum quas *artificiales* nuncupat, in poeſi praeſtent, acutius rimatur. Omnia optimorum poetarum exemplis luculentiſque rationibus ita declarantur, ut nihil verius, nihil dici poſſit illuſtrius. Liber alter primi voluminis, quae ſint in poeſi partes ingenii, quaeque judicii conſiderat; multa de fucatis illis mentis conceptibus habet cognitu ſane praeclara, quemadmodum & de veriſimili atque inveriſimili, nec non de vitioſis metaphoris aut nimium turgidis cogitandi ac dicendi modis, ac de *florida* etiam, nec non de *matura ſcribendi ratione*, quae ſtyli nomine venire ſolet, ac de artificio demum aut *abſcondito* aut *manifeſto*. Vitia, quae ſaeculum XVII. infecerunt, non modo exagitantur, ſed &

eorum aperiuntur cauſſae. Ut aliquod afferam exemplum, deprehendit ipſe ſi formato jam *tropo*, ad rem ſubjectam metaphorae id quod pertinet ad propriam ſuamque transferatur, inde ridiculorum ejuſmodi mentium conceptuum fontem exiſtere. Monet idem, ſi mens ſupra facultatis, quae res per φαντασιαν veluti pictas exhibet, imagines aedificare quid velit, illorum, de quibus loquitur, conceptuum eſſe certiſſimam cauſſam. Hoc etiam in libro Galli ſaepe vapulant, Boelojus, Rapinus, Mambrunus, at praecipue Buhurſius, qui ſuae genti omnia ſumma tribuentes plurima noſtrorum poetarum quamvis egregia, fortaſſe quod non ſatis aſſequantur, reprehendere non verentur. Illud ſummatim dici ac veriſſime poteſt, hoc in libro Muratorium optimis praeceptis & exemplis aperire quid & quatenus deceat, quod eſſe difficillimum Cicero pronunciavit. Volumen etiam ſecundum in duos, ut diximus, libros dividitur. In priore libro voluminis hujus primum is agit, quemadmodum in ſuperiore, philoſophum, cum velit artis poeticae proprium eſſe non

tantum ut delectet, quod brevioribus carminibus haud gravate concedit, ſed etiam ut juvet. Multa graviter diſputat de rationibus, propter quas poeſis apud plures homines non in eo ſit, in quo deberet eſſe, pretio, & in uſum invehitur poeſis omnium aetatum, temporum, civitatum valde familiarem verſibus amores canendi ſuos. Dramata etiam, qualia in theatris exhibentur, vituperat, nec non harmoniam illam, cui neceſſario debent aptari atque adeo ſervire. De tragoedia reformanda Italos commonet, nec non de comoediis ipſis, in quibus multa contra bonos mores admitti dicit non ſolum ab Italis, verum etiam a Gallis. Videtur enim ipſi Molierius ſtuduiſſe potius ut doceret, quam ut derideret vitia, & ad ea potius allexiſſe, quam ut contra eadem pugnaret. Ad linguae Italicae laudes dilapſus, quam in *Grammaticalem* & *Vulgarem* dividit ex ſententia Dantis, probare nititur ejuſdem aetatem auream non fuiſſe Boccaccii temporibus, at poſt annum MD. Equitem Salviatium confutare conatus, qui ſaeculo MCCC. eum honorem tribuendum ſtatuerat,

Florentinis fere univerſis in ejus opinionem diſcedentibus. Deinde Buhurſium oppugnat, qui ſuis in Dialogis, ut Gallicam extolleret linguam, Italicam deprimere conatus eſt iis rationibus, quae non poſſint niſi riſum excitare ſapientis; quale illud eſt de *omotonia*, *de rationibus diminuendi*, quas adhibemus, de *antitheſibus* aut *floſculis*, quos amamus. Poſtremus hujus operis cedro ſane linendi liber aliqua celebriorum poetarum carmina ſibi proponit aurificis profecto ſtatera non populari trutina examinanda, ut aliquibus juſto ſeverior fuiſſe videatur. At optimi critici partes is agit, & quam recondita & multiplici ſubtilique arte ſubactum habuerit ingenium ſatis oſtendit. Hoc opus de *Perfecta Poeſi*, ex quo editum eſt, magno doctiſſimi homines habuerunt in pretio, ex quibus Auctores *Ephemeridum Trevultienſium*, Juſtum Fontaninium nondum Muratorio inimicum, Alexandrum Guidium, cujus nomen, cum de his rebus agitur, ſexcentorum teſtium inſtar eſſe poteſt, Joannem Joſephum Urſium, Joannem Marium Creſcimbenium, Antonium Mariam Salvi-

nium, Theobaldum Cevam commemorabo; nec non Sebaſtianum Paulium eloquentiae praeſertim gloria nobilem, qui Muratorium in hiſce libris artis poeticae magiſtris univerſis anteferre non dubitavit. Ait enim nullum fuiſſe hominem, qui hujus artis principia tam longe repetiverit, & ea demum perſpicuitate expoſuerit atque doctrina omnino ſingulari. Sed praeter eoſdem Trevultienſes, qui locos, in quibus de Marinio, & in quibus de Cornelio ipſorum ac de Racinio agitur, prorſus injuſte reprehenderunt, aliqui extiterunt etiam ex Italis, qui aut multa, quod pauci, aut nonnulla, quod plures, hoc in opere contenta carperent. Aliqui docti viri antiquitatis admiratores tulerunt aegrius, quod Homerum exagitet, quem optimae poeſeos tanquam exemplar vetuſtiſſimae etiam aetates habuerunt. Aliquibus, praeſertim Etruſcis, opinio illa multum diſplicuit de Italica lingua poſt annum MD. perfecta, quum nemo unquam extiterit, ipſis quidem auctoribus, qui cum Boccaccio comparandus videatur. Aliqui demum riſerunt, quod divini cognomen Danti & He-

mero invideat, quod Maggio ſuo tam liberaliter tribuit. Opera etiam aliqua typis commiſſa contra Muratorium ex eo tempore prodierunt. Ac primo quidem Hiacynthus Vinciolius Peruſinus Advocatus, edita, ut inſcripſit, *Academica Lectione* *, defenſionem ſuſcepit epigrammatis Italici aliqua ex parte a Muratorio improbati. Erat illud Franciſci de Beccutis, cui Coppettae agnomen vulgo fuit additum. Inſignis hic poeta, meritis etiam a Muratorio laudibus non uno in loco celebratus, ea fortaſſe defenſione minus indiguiſſet. Acerbiores extiterunt in Muratorium duo Vicentini poetae, Andreas Maranus & Antonius Bergominius, edito dialogo anno MDCCVIII. **, quo ſe ſe defenderent. Reprehenderat eos Muratorius, quod & ſalacia nimis atque inverecunda eſſent eorum carmina, ac dicendi rationibus ex Graeco aut Latino fonte admodum imperite detortis non illi quidem jacentem, quod

* *Lezione Accademica di Giacinto Vincioli ec.*

** Dialogus hic inscribitur *Eufraſio*. In eo videlicet, ut praefertur, *ſi diſcorre di alcuni difetti ſcoperti nelle opere di due poeti Vicentini ec.*

praeſerre videbantur, erexiſſent poeſim, at ſi plurimos nacti eſſent diſcipulos, omnino peſſumdediſſent. Noluit iis reſpondere Muratorius. Etenim apud ſe ſtatuerat, nullis hujus generis controverſiis involvi. Ejus tamen partes Nicolaus Amenta & Sebaſtianus Paulius ita ſuſceperunt, ut Vicentinos impudentiae ſuae poenitere potuerit. Sed eodem anno MDCCVIII. tres celeberrimi viri, qui certe niſi praejudicatis quibuſdam laboraviſſent opinionibus, de rebus ad poeſim pertinentibus ceteros, quaſi jure ſuo, docere potuiſſent, Joannes Bartholomaeus Caſaregius, Joannes Thomas Canevarius & Antonius Thomaſius, opus collato ſtudio condiderunt, quo plura Petrarchae carmina, praeſertim quae de *oculis Laurae* ſunt, non omnino, ſed aliqua tantum ex parte per Muratorium improbata tuerentur. Ita ſcripſerunt ii homines, quemadmodum eos decebat ſcribere, qui optimis diſciplinis ad omnem humanitatem exculti in rebus ad liberaliſſima ſtudia pertinentibus a graviſſimo viro diſſentirent. Itaque Muratorius ipſe Canevario gratias per epiſtolam agere non dubitavit. Non tamen idcirco a

ſententia diſceſſit, ut ex eo ſatis apparet; quod *Italica* poſtmodum *Petrarchae carmina* edens, eaſdem iis apposſuerit *Animadverſiones*, ac lectorum ſuorum judicio perpendendas reliquerit. Sane qui non ſit ſtudio partium addictus, & in omnia interpretum Petrarchae verba cum Etruſcis bene multis jurare didicerit, non video qua ratione Muratorio non tandem conceſſerit, & humilia quaedam eſſe, & dura, & implexa, nimiaeque tenebris obſcuritatis involuta, vel in ipſis illis, quae ſunt de oculis Laurae, carminibus immortalitate profecto, quod & Muratorius praedicat, aliunde digniſſimis. Praeter illa, quae diximus, alia quaedam Thomaſius in Petrarchae defenſionem elucubravit. Vir ſcilicet ſingulari doctrina praeditus inter nobiliſſimos aetatis noſtrae poetas adnumerandus erga praeclarum illum Italicae poeſeos lyricae auctorem & quaſi parentem nimio fortaſſe ſtudio ferebatur. Hinc probandum ſibi contra Muratorium & illud ſumpſit, optimum ea Petrarchae carmina referre numerum, quae quivis aetate noſtra vel mediocriter eruditus ipſo aurium judicio repu-

diaverit. Sane, quod jure mireris, ipſe Thomaſius nunquam iis Petrarchae verſibus verſus ullos effudit ſimiles, quod pertinet ad harmoniam, de qua loquimur, innumeris ex capitibus ab illo laudatam. Semper enim non modo elegantia & magnificentia, ſed & ipſo numero, qui ſine ſatietate delectet, lectorum animos atque aures mirifice tenet. Quamobrem hinc etiam colligas, quo ſe ſe viri quidam litteris dediti abripi ſinant contradicendi libidine, cum & ea magnis laudibus extollant, in iis quos ſemel laudandos defendendoſque ſuſceperint, a quibus ipſi admittendis, aut ſuis in operibus exprimendis magnopere abhorruiſſent. Epiſtolam contra Thomaſium omnibus vel eloquentiae vel doctrinae numeris abſolutam ſcripſit ad Joſephum Mariam fratrem ſuum Paullus Bernardus Quirinius, cujus etiam non multa quidem, at elegantiſſima, legimus carmina. Eam epiſtolam in Muratorii defenſionem ante *primam Theobaldi Cevae Collectionem* invenias. Humaniſſimus etiam fuit in Muratorium Antonius Maria Salvinius, vir, ſi quis alius, in optimorum ſcriptorum lectione ver-

ſatus, ac multarum tum veterum tum recentiorum cognitione linguarum oppido celebratus. Miſerat ad eum hoc opus Muratorius, antequam ederetur, ut ſiqua in eo vitia deprehenderet, indicare vellet. Morem amico Salvinius geſſerat. Cum primum eſt editum volumen, Salvinius, qui tum ruſticabatur, magna quadam illud aviditate perlegit, nec tamen ſe ſe cohibere potuit, quin aliqua per otium cenſoria virga notaret. Sed univerſa quae ſcripſerat Muratorio miſit. Tantum abfuit ut ea re Muratorius offenderetur, ut Salvinium potius rogaverit, ne, quod in priore fecerat, in altero volumine facere gravaretur. Praeſtitit id etiam Salvinius. Eae ſunt *Criticae Animadverſiones* Antonii Mariae Salvinii, quae deinde cum libris de *Perfecta Poeſi*, curante Sebaſtiano Paulio, de quo diximus, quin & Muratorio annuente, Venetiis in lucem an. MDCCXXIV. prodierunt. Saepe Muratorium Salvinius laudat, ſaepe defendit, quamvis aliqua ſubinde carpat, quae homini Etruſcae linguae ſtudioſiſſimo aut minus eleganter quam cetera, aut etiam non ex Etruſcae linguae in-

genio dicta videbantur; nec non aliquibus in locis Muratorii aut nolentis de rebus amatoriis tam multa ſcribi, aut quaedam inſignium poetarum carmina reprehendentis, aliquam ſeveritatem notet. At pro Etruſcis ſaeculi XIV. ſcriptoribus & illius aetatis lingua tanquam pro aris ac focis contra Muratorium, modeſtiae tamen & amicitiae quavis lege ſervata, pugnat, atque ut Salviatii ceterorumque Florentinorum ſententias hac in re tueatur, omnem lapidem movet. Non ejuſdem generis ea ſunt, quae contra Muratorii opus Blaſius Schiavus ex eo pago, qui nuncupatur Eſte, conſcripſit aut edidit. Etenim anno MDCCXXXII. *Praefatio ad Ariſtotelis Rhetoricen in Etruſcum ſermonem ab Hannibale Caro converſam*. Venetis typis ab illo vulgata eſt *, additis ſub finem *Litteris Franciſci Petrarchae ad ipſius Praefationis auctorem* **; quo quidem in libro multis verbis juvenes admonentur, ut ſi poe-

* *Prefazione alla Rettorica d' Ariſtotele fatta in lingua Toſcana dal Commendatore Annibal Caro.*

** *Lettera prima di M. Franceſco Petrarca all' Autore della Prefazione ec.*

tae, nedum Graeci aut Latini, ſed tantum Etruſci velint evadere, ne latum quidem unguem a praeceptis Ariſtotelis audeant diſcedere; ac multa non modo petulanter & inurbane in Muratorium, ſed & contumelioſe dicuntur. Ejuſdem eſt furfuris ſcriptum aliud ejuſdem Schiavi nomine anno, qui conſequutus eſt, in lucem editum, in quo Muratorii Etruſcum quoddam epigramma non modo carpitur, ſed & nulla tanti viri habita ratione irridetur *. Eorum tamen libellorum non ipſum Schiavum, qui editioni praefuit, ſed Dominicum Lazzarinium Schiavi praeceptorem, qui Hannibalis Cari manes a Muratorio in Caſtelvetri vita reprehenſi voluerit ulſciſci, parentem fuiſſe conjicit Solius. Etenim & Lazzarinius minacibus quibuſdam litteris jamdiu Muratorio nunciaverat, ſe ſe Cari partes eſſe ſuſcepturum, & ex ipſa ſcribendi ratione ſe ſe Lazzarinium agnoſcere Solius idem ſcribit. Equidem ex iis, quae

* *Lettere di M. Franceſco Petrarca all' A. della prefazione ec.* Epigrammatis Muratoriani pro Virgine quadam Deo ſacranda initium erat: *Queſt' alma, cui per tempo ai ſanti amori ec.*

quae tam confidenter hic pronunciat, qui avunculi ſui ſenſus univerſos optime noverat, idem & Muratorio fuiſſe perſuaſum facile credo. Quidquid ea de re ſit ſtatuendum, quamvis hi libri tantis Muratorium injuriis afficerent, hic ſilentium, quod ſibi ſemel his de rebus indixerat, perpetuo ſervavit. Idem Jacobum Martinenghium Placentinum improbavit, quod is anno MDCCXXXIII. *Reſponſionem* ad poſtremum Schiavi libellum in lucem emiſerit *. Hunc Martinenghii libellum ea cauſſa, quam tutabatur, indignum fuiſſe idem Solius agnoscit, qui ne lectum quidem a Muratorio fuiſſe teſtatur nolente de Schiavi calumniis ex ea lectione edoceri. Joannes Joſephus Urſius, qui certe pro Muratorio ita ſcribere potuiſſet, ut adverſarium quamvis multo ſale & aceto perfrictum flere cogeret, & inſignem tota cantandum Italia exhiberet, cum nequicquam hortatus amicum eſſet, ad impudentiſſimi hominis retundendam audaciam contra hunc

* *Riſpoſta al libretto intitolato: Lettere di M. Franceſco Petrarca ec.*

arma ſumere decreverat. At enim per ea tempora Muratorii familiares ac patroni, quorum plures tum Patavii tum etiam Venetiis erant, a Senatoribus, queis ea provincia demandata eſt, privilegium irrogari Schiavo curarunt, ne quid amplius contra Muratorium typis ederet, cum nebulo pluſquam C. eſſe contra Muratorium penes ſe vulgandas epiſtolas importuniſſime gloriaretur. Urſius autem paullo poſt non ſine magno litteratorum totius Italiae hominum moerore e vivis ereptus eſt. Neque tamen defuere, qui pro Muratorio pugnarent. Ex iis Theobaldum Cevam & Vincentium Cavalluccium commemorare ſufficiat. Ipſe demum Schiavus ad ſanam mentem redire viſus eſt, quin & cum Muratorio palam reconciliari voluit. Ipſius enim eſt *Praefatio ad verſus Laurae*, quam typographi nomine Muratorio inſcripſit. Verum ad poetica Muratorii opera redeamus. Jeſuita Buhurſius, qui Gallicam ita percallebat grammaticam, ut in minimis maximum; ita parum artem criticam, & alia quaedam, de quibus tamen ſcribere volebat, noverat, ut in maximis minimum fortaſſe non inju-

ria dixeris: hic igitur multa in auctoribus praeſertim Italis carpere non dubitabat. In libro illo praeſertim, quem de modo recte cogitandi Gallice ſcripſit, plurima effudit, quae minime cum veritatis norma conveniunt. Id ferens aegrius Joannes Joſephus Urſius, quem ſaepe laudavimus, Italorum ſcriptorum patrocinium a ſe ſe ſuſcipiendum eſſe duxit. Ejus libro reſpondere conati ſunt *Ephemeridum Trevultienſium* ſcriptores, ſed adeo inepta effuderunt, ut Urſio facillimum fuerit, editis anno MDCCVII. *quatuor ad Dacieram* ſingulari doctrina mulierem *epiſtolis*, eoſdem convincere. His epiſtolis undecim aliae adjectae ſunt a praecipuis viris Italis doctrina praeſtantibus datae, quas inter una ſatis longa Muratorii eminet. In ea Muratorius illum Lucani verſum defendit

Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni:

quem Trevultienſes contra Urſium ſcribentes maximae damnaverant impietatis. Alios etiam egregios poetas ab adverſariis laudatos etiam pejora de falſis Numinibus ſcripſiſſe oſtendit: ſapientiſſimos quoſque viros quan-

topere illa contempſerint, pluribus pateſe-ciſſe; neque a magiſtratibus, neque a legibus fuiſſe interdictum, quominus quid quiſque vellet de iis affirmaret: id praecipue Stoicis fuiſſe conceſſum, qui ſapientem ſuum Diis ipſis anteferre videbantur: neque vero Αθεο-τητα ſapere illum Lucani verſum,

Jupiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris;

cum aliis in locis homo Stoicus alia per-multa eademque praeclara de natura divina litteris mandaverit. Non modo majoris eſt molis, ſed & multo majoris pretii liber, quem ad Italicos Franciſci Petrarchae ver-ſus illuſtrandros exaravit. In prooemio hujus libri Antonio Rambaldo Comiti Collalti ac Nobili Veneto inſcripti rationes aperit con-ſilii ſui in carminibus Etruſcis Petrarchae edendis. Etenim praeter emendatiſſimam edi-tionem anno MDXL. Venetiis factam, anti-quiſſimorum codicum fidem ſecutus eſt, duo-rum praeſertim, qui in Eſtenſi bibliotheca ſervantur; & editionem Romanam Friderici Ubaldini anni MDCXLII. multorum ex iiſ-dem carminibus ad αυτογραφον ipſum, quale

in bibliotheca Vaticana aſſervatur. Differit etiam de epigrammatibus quibuſdam Petrarchae nondum editis, aut de quibus ipſe in libris *de Perfecta Poeſi* mentionem fecerat. Idem patefacit, quare *Conſiderationes* Taſſoni cum *Adjunctis & Adnotationibus* Hieronymi Mutii, quas ex Mutii libro idem Taſſonus excerpſerat, iterum ediderit, quamvis illas *Conſiderationes* non eſſe magni ponderis pluribus in locis oſtendat. In fine hujus prooemii eos laudat, qui contra ipſum adornaverant *Defenſionem trium de oculis cantionum*, quibus quare nunc minime reſpondeat, admonet. Deinde vitam ſubtexit Franciſci Petrarchae, quod etſi fecerit poſt auctores omnino XXV. qui eamdem fuſe deſcripſerant, negari non poteſt aliquid etiam novi lectoribus attuliſſe. Quod attinet ad *Obſervationes*, quae vel maxime veniunt in hoc opere conſiderandae, ſatis perſpicuum eſt, Muratorium non eaſdem exaraſſe, ut Petrarchae gloriam leviſſima etiam ex parte imminueret. Etenim & ſaepius egregium poetam contra obtrectatores defendit, & plurima, quae in eo eminent, ſtudioſe perſequi-

tur, ac magnifice laudat. Igitur id tantum ſibi ponit ob oculos, ut juvenibus conſulat, qui difficile, quae in eo poeta repre-henſione digna ſunt, agnoſcunt, & ex ejuſdem auctoritate ſe ſe in errores ac vitia abripi ſinunt. Quae ipſe carpit, ſane carpenda ſunt, ſi partium ſtudio ſepoſito, eam ſententiam ferre velis, quam res & veritas ipſa ferri patiatur. Quamobrem injuria, quod hic noſter contra Petrarcham ſcripſerit, plures praeſertim Etruſci ſuccenſuerunt. Rationem autem hic etiam ſequitur, quam in extremo libro *de Perfecta Poeſi* ſequutus fuerat, ut poſt quodlibet carmen judicium exponat ſuum. De re autem univerſa ita pronunciat: carminum genus, quod Itali *Sextinas* vocant, tum Petrarchae, tum aliorum quoque veterum tam parum referre boni, ut vix ea legi mereantur; *Cantiones* autem Petrarchae multo pluris eſſe faciendas, quam ipſius epigrammata, quae *Sonetti* ab Italis nuncupantur, quamvis inter haec quaedam ab ipſo Apolline dictata eſſe videantur. De *Triumphis* etiam ſequitur opinionem ſapientiorum: eſſe hos ceteris Petrarchae Ita-

licis verſibus omnino deteriores; inventionem eſſe laudandam ſummo poeta dignam; pulcherrimas in iis legi deſcriptiones, partes, affectus, verſus; non tamen haec eſſe carmina, quae ſummis eumdem lyricis vatibus inſeruerint. Quae cum ita ſint, meo quidem judicio, ſapienter Auctores *Ephemeridum Litteratorum Italiae*, cum eas *Obſervationes* collaudaſſent, Muratorium inter eos, qui felicius ad Florentini Horatii carmina illuſtranda manum admoverint, atque iter adoleſcentibus ad optimam ipſius imitationem patefecerint, recenſendum eſſe pronunciarunt. Haec de poeticis rebus Muratorius, queis etiam addere poſſemus ab eo fuiſſe conſcriptum *Articulum XIII.*, qui eſt in *Volumine V. Ephemeridum*, quas modo laudavimus, ubi de verſibus ac de aliis ſoluta numeris oratione elucubratis, ac de *Theatro* praeſertim Petri Jacobi Martellii tam apte copioſeque diſſeritur. Neque vero, quod pertinet ad humaniores litteras, poeſim dumtaxat Muratorius excoluit, ſed & cetera, quae reſpiciunt affines diſciplinas & eloquentiam, il-

lam praecipue, quae inter ſcribendum exeritur. Cum enim ſatis commodam vocem ei natura denegaſſet, neque multum, quod jure in tanta doctrina mireris, ad verba ex tempore facienda comparatus eſſet; bonus orator neque eſſe potuit, neque ut eſſet adlaboravit; quamvis & quaedam ejus *Oratio de ſpei Chriſtianae virtute*, & alia quaedam inedita, quae de ſuggeſtu dixerat, a doctis etiam auditoribus collaudata fuerint. Sed certe praeſtantiſſimam eloquentiae formam animo ipſum imbuiſſe vel ex iis conſtat ſapientiſſimis monitis atque praeceptis; quae de illa dedit, cum de optimo in diſciplinis atque artibus ageret ſenſu. Stylus vero illius tum in iis quae Latine, tum in iis quae ſcripſit Italice, is meo quidem judicio fuit, qui hominis non eſſe non poterat in plurimis exarandis maximi momenti libris toto vitae ſuae tempore exercitati. Affert ille quidem omnino mirabilem quamdam in rebus etiam ſpinoſis obſcuriſve natura perſpicuitatem, nec ſolum a brevitate nimia, ſed & a moroſa omni prolixitate abhorrentem. Nun-

quam tamen Muratorius eſt habitus ab iis, qui nollent immeritis etiam laudibus eumdem ornare, oratione tam limatus atque politus; ut in vitia quaedam haud facile incurrat: Nativam quamdam ille ſecutus eſt dicendi rationem ab ornamentis fere omnibus alienam, ut res omni quidem loco, verba tamen haud unquam quaeſiviſſe magnopere videatur. Hinc ille, quanquam a magnis vitiis abeſt, in iis praeſertim quae materno ſermone tradidit litteris, non tamen iis refulget virtutibus, quae multo diligentiorem operam ſcriptionemque deſiderant. Ceterum, quod pertinet ad libros ejus de litteris humanioribus, primo quidem commemoranda videtur *Diſſertatio de linguae Graecae uſu & praeſtantia*, quae tamen ante obitum ejuſdem evulgata non fuit. Hanc ille ſcripſit adoleſcens anno MDCXCIII. cum ſub initium ejuſdem anni operam ei linguae navare incoepiſſet, & ad Gibertum Borromaeum, qui poſtmodum Eccleſiae Romanae ex Cardinalibus unus, & Novarae Epiſcopus fuit, miſit. Quicumque illam legit, non leviter admiratus eſt, quod tantam in ea lin-

gua peritiam tam brevi tempore conſequutus eſſet. At ſub extremum tempus aetatis cum per hiemem anni MDCCXLIX. opera Joannis Chryſoſtomi diligentius lectitaſſet (neque enim eo tempore quidquam ſcribere per valetudinem potuerat) opuſculum condidit *de popularis eloquentiae laudibus*. Hominem ille ſumit doctrina liberaliter inſtitutum, & aliquo jam imbutum uſu, eumdemque docet moderari orationem multitudinis auribus accommodandam, ad oblectandos animos, ad impellendos ad ea probanda, quae non genus ſermonis, ut fieri ſolet in ſcholis, exile, aridum, conciſum ac minutum, ſed liquidum ac fuſum ac profluens expoſtulant. Illuc autem rapit lectorem, ubi non ſecluſa aliqua aquula teneatur, ſed unde univerſum eloquentiae flumen erumpat. Quanquam enim ille non habitavit in hac arte tractanda, ut ii ſolent, qui ſe ſe germanos ejus magiſtros profitentur, eadem acie mentis, qua tot aliarum viderat vim naturamque rerum, haec quoque aſpexiſſe dicendus eſt. Hic poſtremus Muratorii liber poſt mortem ejus Venetiis, ac demum ſimul cum u-

niverſis ejuſdem carminibus ad eä tempora vulgatis in lucem editum fuit. Sed haec omnino pauca, cùm de tanto agatur viro. Jàm gradatim ad alia veniamus. In rebus pertinentibus ad philoſophiam, quae ſola, poſt religionem divinitus traditam, hominibus inter tam craſſas inſcitiae tenebras conſtitutis lucem veritatis afferre poteſt, non inſipiens fuiſſe Muratorio judicium ex pluribus ab eo conſcriptis apparet. Quanquam negari haud poteſt eam philoſophiae partem, quae eſt de natura rerum, non eadem induſtria, qua ceteras facultates, a Muratorio fuiſſe cultam, quemadmodum & illud omnino verum eſt, in mathematicis diſciplinis, ſine quibus illa vix, aut potius nullo modo ſtare poteſt, fuiſſe noſtrum omnino rudem. Verùm illam philoſophiae partem, quae de moribus aut officiis agit, nec non omnia praecipit, ex quibus evadant homines honeſtatis laude perfecti, ac ſimiliter aliam, quae verſatur in differendi ratione, ac veritatis inveniendae modum ſtudioſius inquirit; quin & alia quaedam humanae ſapien-

tiae capita libris diligenter conſcriptis illuſtrare conatus eſt. Opus Muratorii, quod *Philoſophia Moralis* appellatur, an. MDCCXXXV. Veronae primum, ac poſtea ſaepius in aliis Italiae urbibus typis commiſſum, non in poſtremis numerandum eſt, quae philoſophiae partem illam ceteris utilitate ac dignitate praeſtantiſſimam exornent. Non ille Ariſtotelis agit interpretem, non in alicujus jurat verba magiſtri, quod praeter quam a Montagnio paucisve aliis factum ad ea tempora fuerat, verum philoſophandi ratione prorſus nova ſuaque fretus pulcherrimum ita tractat argumentum, ut vix aliquid magnificentius afferri, vix aliquid poſſit utilius. Anno autem MDCCXLV. Venetiis librum edidit *de viribus humanae mentis*, quo Pyrrhonis redarguit diſcipulos. Praecipue tamen evertere nititur quod in libro Petri Danielis Huetii Epiſcopi Abricenſis *de imbecillitate mentis humanae* legerat. Videlicet hic auctor cum libris praeclare ſcriptis & de nobiliſſimis quibusque diſciplinis & de ipſa Religione Chriſtiana fuiſſet optime meritus, vertit ad extremum omnia, opuſque reliquit, quo

vel philoſophiae vel Religionis adverſarii non leviter abuterentur. Ponit enim eadem, quae Sextus Empiricus, ut in eo libello ne argumenti quidem aut ſententiarum novitatem vel commendare vel admirari poſſis, neque veretur celebrem hunc Pyrrhonis aſſeclam totius philoſophiae contemptorem laudibus haud ſane meritis in caelum extollere. Hoc igitur Huetii opus confutandum ſibi Muratorius aſſumit, quin & majus aliquid molitur. Cum enim celeberrimi hominis vel ipſam auctoritatem, & quam ille ſibi peperit doctrinae famam Sceptici ſoleant nobis opponere, volumen ipſum non genuinum Huetii foetum, ſed omnino ſuppoſitum fuiſſe conatur efficere. Ratio autem ejus potiſſima eſt, quod hoc opus Gallico ſermone conſcriptum ipſe haberet in manibus, cum Latine fuiſſe elucubratum accepiſſet. Verumenimvero Sceptici recentiores ſaepe memorant utroque ſermone fuiſſe illud ab Huetio elaboratum. Itaque Muratorii ratio nihil aliud melius aut liquidius oſtendit, niſi ipſum a libris perlegendis, qui viderentur Chriſtianae Religioni adverſari, valde refu-

gere conſueſſe. Hoc quidem Solius etiam diſerte narrat, & in magnam putat avunculi gloriam vergere. Id fortaſſe poterat non modo ſine nota negligentiae, ſed & cum laude pietatis a doctiſſimis etiam ac religioſiſſimis hominibus fieri, cum nondum ut noſtris uſuvenit temporibus, tanta vis librorum vel ipſa Chriſtianae fidei fundamenta convellentium ex aliis regionibus in Italiam ingruiſſet. Nunc enim profecto vel lectoribus vel cauſſae non ſatis bene conſuleret, qui ſcribendum de hujuſmodi rebus ultro ſuſciperet, & in iis tamen libris fere hoſpes eſſe vellet. At enim ex aliis quoque libris omnino conſtat, Huetium opus idem & Gallice & Latine ſcripſiſſe. Demum Suazetius Amſtelodamenſis bibliopola Huetii opus ab ejus conſanguineo ſibi miſſum typis vulgavit, praemiſſa (non enim indoctus erat) praefatione, qua ſatis evertit quidquid, ad probandum illud non fuiſſe conſcriptum ab Huetio, dici potuiſſet; monens etiam praeter Latinum exemplar, quod ipſe accurate deſcripſerat, extare alterum in Regia Bibliotheca Pariſienſi depoſitum; Huetii manum

ibi agnituros, qui eam aliunde novèrint. Amſtelodàmenſis haec editio peracta eſt anno MDCCXXXVIII. Denique Muratorius ipſe, cum ejus editionis vidiſſet librum, agnovit errorem ſuum, & fruſtra ſe ſe adlaboraſſe confeſſus eſt, ut Huetium ejus perniciosi operis conditi crimine liberaret. Aliud philoſophicum Muratorii opus anno MDCCXLVIII. lucem primo Venetiis vidit. In eo *de viribus illius facultatis, qua quid imaginamur, phantaſiae* vulgo nuncupatae, diſſerit. Quorum ea noſtrae mentis potentia malorum eſſe poſſit origo demonſtrat, & quibus rationibus poſſimus iiſdem occurrere aut mederi malis, ſapienter admonet. Primam ego partium harum vero philoſopho ſatis dignam eſſe non nego, neſcio tamen, an omnia vir valde religioſus commemoraverit, quae commemorari potuerant. Neque enim ille, quaſdam auctoritates nimium fortaſſe veritus, Maffejo prorſus aſſentiri voluit, quidquid poſt Evangelii promulgationem de magicis narratur artibus ubi fraus humana, quod ſaepiſſime fit, non interveniat, ipſius *phantaſiae* ludis atque mendaciis tribuendum

hujus operis partem plurimum continere utilitatis, quiſquis eam perlegerit, facile agnoſcet. Ad philoſophiam quoque pertinet *ſcientia medicorum*, cujus aliquam non ſine magna laude partem Muratorius attigit; quamvis ea ſtudia viderentur ab iis, quae profitebatur, quam quae maxime aliena. Sed ea peſtis, quae anno MDCCXIII. per multas Germaniae provincias debacchata eſt, quam bovina peſtis longe lateque diffuſa praeceſſerat, &, quae, cum remittere multum viſa eſſet in iiſdem partibus, iterum non minus quam antea ferox extitit, occaſionem detulit noſtro legendi & in adverſaria conferendi quidquid de hoc argumento ſummi viri litteris conſignaverant. Hinc librum facile compoſuit *de rationibus, quas eo tempore, quo peſtis graſſatur, tum Magiſtratus, tum Medici, tum ſacri Paſtores animarum ſequi debeant*. Liber hic a medicis ipſis plurimi factus eſt. *Praefatio* praeſertim haud ita brevis vehementer ab iis probatur, qui de rebus hiſce judicare poſſunt. Ab anno autem MDCCXIV. ſaepius, quam alia quaevis opera Muratorii, propter argumenti utilitatem praelum ſubiit

biit. Factum autem eſt id etiam in Anglia anno MDCCXXI., iis dumtaxat omiſſis, quae ad *Eccleſiaſticum regimen* ſpectant. Sed ut de ceteris hujus libri editionibus ſileam, omnibus ea Mutinenſis praeſtare videtur, quam Vigonii fratres ac Joſeph Cairolus anno MDCCXXI. perficiendam curarunt. Etenim ea, ſuis locis additamenta quaedam auctoris ipſius habet, nec non *peſtis, quae Maſſiliam depopulata eſt, Narrationem*. Hanc vero collegit Muratorius e medicorum plurium, qui eidem interfuerant, teſtimoniis, ſuiſque animadverſionibus illuſtravit. Peſtis etiam Meſſanenſis effecit, ut pluries hic idem liber vulgaretur. At enim, quod caput eſt, Panormitani ejus utilitatem vel maximam experti ſunt, & innumeris laudibus celebrarunt. Iis enim uſi rationibus atque praeceptis, de quibus fuſe Muratorius ac luculenter agit, tantum malum a ſuis moenibus, queis imminere videbatur proximius, avertere potuerunt. Verumtamen hic etiam Muratorii liber ſuos habuit adverſarios. Multis id diſplicuit, quod praeſertim de Maſſilienſi peſte differens ſtatuere conatus fuerat, hoc

teterrimum morbi genus e quibuſdam eſſe corpuſculis aut effluviis aut atomis, quae cum venefica quadam eademque ſubtiliſſima natura polleant, in hominis corpus evolantes magna ferocia humores perturbent, ſpirituſque conficiant; ex quibus univerſa conſequantur; quae in ea, de qua diximus, *peſtis Maſſilienſis narratione* deſcribuntur. Itaque Bartholomaeus Corte Mediolanenſis medicus *epiſtolam* (ſic enim vocavit) *apologeticam* ad Muratorium ipſum eodem anno MDCCXXI. edidit Mediolani, ut celeberrimi viri Antonii Valliſnerii defenderet opinionem. Ea quidem ferebat, peſtem non aliunde exiſtere, quam ab incredibili quadam vermiculorum multitudine, qui per contactum a corpore in corpus facillima ratione tranſeant. Cum fuſius ea de re diſputare Ludovicus ab inſtituto ſuo fortaſſe duceret alienum, neque adverſario quidquam reſponderet, illius partes ultro ſuſcepit Carolus Richa medicinae Doctor in Academia Taurinenſi ſub finem alterius partis *Hiſtoriae*, quae *morborum vulgarium* inſcribitur, anno MDCCXXII. in lucem editae. Quoniam de rebus agimus

ad medicinae ſtudium pertinentibus, hoc loco memorabimus Joannem Baptiſtam Davinium, Ducis Mutinae medicum, hortatu Muratorii *Diſſertationem* anno MDCCXX. edidiſſe *de potu vini calidi*, quam ipſi dicavit. Multae adjiciuntur huic libro epiſtolae ad Muratorium de hoc eodem argumento datae cum alia quadam Auctoris ad Vallisnerium. Sed & inter eas docta Muratorii ejuſdem epiſtola legitur. Philoſophiae quidem ut finis praeſtituitur hominum, quanta maxima poſſit in hoc eſſe terrarum orbe, felicitas. Ea re ſcientia, quae politica vocari ſolet, ad veri nominis philoſophum vel maxime pertinet. Quamobrem & Plato & Ariſtoteles & Cicero & Seneca & Plutarchus & alii veteres eamdem ſcientiam ſuis curis, vigiliis atque laboribus digniſſimam judicarunt. Eos imitatus noſter tria conſcripſit opera, quae non levi civitatibus univerſis emolumento eſſe poſſent. Primo quidem an. MDCCVIII. Mutinenſibus typis libellum edidit *de ratione pacem inter privatos homines facile conciliandi*. Occaſionem autem hujus exarandi libelli ei detulit vir equeſtris ordinis, qui praeclaro

munere in patria ſua fungebatur pacis inter homines praecipue nobiles componendae. Hic magnam in eo difficultatem experiri ſe ſe conquerebatur, quod non raro haud facile ſtatui poſſet, an ea vera eſſent, quae ad ſui defenſionem afferebant, qui exercebant inimicitias; cum facta ne revera fuiſſent an ſecus, quae praeferebant illi, non ſatis conſtaret. Itaque Muratorius ab eo rogatus, ut aliquam ad id aperiret viam, conſcripſit hunc librum, prudentibus monitis omnino plenum. Attamen quantum is ea ſcientia, de qua loquimur, nec non alia prorſus affini juris legumque praeſtiterit, ex eo libro, quem *de vitiis ac naevis Juris prudentiae* compoſuit, luculentius apparet. Ille quidem cum anno MDCCXXVI. a Carolo VI. Romanorum Imperatore non levia benevolentiae accepiſſet indicia, *Diſſertationem* elucubravit illi dicandam *de codice Carolino, ſive de novo Legum Codice inſtituendo*. Hunc tamen libellum non modo ipſe non edidit, ſed cavit etiam, ne poſt mortem ſuam ab heredibus aut alio quovis ederetur. Nimium enim fortaſſe auſus fuerat, nimium

que tentaverat, quod operis titulus ipſe declarat. Verumtamen uſus eſt iis, quae ad eum librum condendum collegerat, ad alium Etruſca lingua exarandum, de quo ſermonem inſtituimus. In eo concluſionibus centum nonnulla complectitur, quae correctione in plerisque Tribunalibus digna videbantur, aut in quibus alio quovis modo recentiores (de his enim dumtaxat loquitur] leges quidvis haberent vitii non ſine aliquo civium incommodo. Neque vero ſibi & ingenio ſuo judicioque, cum iſta ſcriberet, quamvis graviſſimis atque maximis confiſus eſt noſter; ſed cum principibus in patria jureconſultis omnia contulit, quin & exterorum quoque ſapientum ſententias exquiſivit. Quamobrem qui temeritatis Muratorium quaſi in alienas poſſeſſiones irruentem coarguerunt, eos omnino temere loqui ac ſentire facillima ratione convincitur. Editus eſt hic liber primo Venetiis anno MDCCXLII. ac poſtea ſaepius tum Venetiis, tum etiam alibi, poſt mortem quoque Ludovici Antonii nonnullis additis, quae ab eodem auctore prodiiſſe Solius, haud ſemel a nobis

honoris cauſſa nominatus, teſtatum reliquit. Quantus, edito libro, inter jureconſultos rumor extiterit, haud facile quiſque dixerit. Plures Muratorio aſſenſores erant, verum obtrectatores fortaſſe plures, cum cauſidicorum praeſertim venale genus admodum aegre ferret ea vituperari, ex quibus tot corrogare pecunias tanta cum facilitate conſuevit. At hos humaniorum fere litterarum ac politiorum artium expertes quis minime contemnat? Aliqui tamen etiam ex doctioribus ſcripſerunt in Muratorium; ac primo quidem Joannes Antonius Querinius ac deinde Franciſcus Amorca de Latamo. Qui dialecticam vel primoribus, ut ajunt, labris attigerit, etſi juris prudentiam ne a primo quidem limine ſalutaverit, duobus hiſce viris facillime reſpondeat. Laudibus enim pugnant, iisdemque magnificis, quas ei facultati homines impertiti ſunt omni tempore. Atqui laudes illae minime prohibent, ut quod humanum opus eſt, vitiis careat aut naevis. Majoris momenti (vix enim commemoranda eſſe putamus quae Auguſtinus Matteuccius oppugnavit) duo viri celebres in Academia

Neapolitana Franciſcus Rapolla & Paſqualis Cirillus, qui tamen ita ſcripſerunt, ut maximo in pretio ſe ſe habere, quem carpebant, auctorem aperte ſignificarent. Quin & Cirillus diſerte praedicavit, Muratorii librum eſſe digniſſimum, ut ab iis, qui reipublicae procurationi praeſunt, in manibus habeatur, ac multas ex illo poſſe in publicum bonum utilitates exiſtere. Ceterum Muratorius hic etiam tenuit morem ſuum nemini, a quo carperetur, reſpondendi, niſi forte nomine violatae pietatis & religionis poſtularetur. Solum ad Franciſcum Rapollam, qui ſuum ei librum miſerat, humaniſſimam, quo proprium tueretur opus, dedit *epiſtolam* *. In ea Rapollae tum doctrina tum voluntate publicum provehendi bonum collaudata, illum a propoſito aberrare modeſte admonet. Defendebat enim Rapolla antiquam juris prudentiam ac legum collectionem juſſu Caeſaris Juſtiniani peractam. Eam enimvero noſter haud ſpreverat duas tantum aut tres

* Vid. eam apud Solium edit. Aretinae Append. N. XI.

in illa peculiares leges haud ſatis probans. Deinde ſemper illud vitio minime carere convincit, hujuſmodi leges eſſe, ut magnae quae ſunt, diſſenſiones interpretantium, in magnum vergentes incommodum civitatis, non eſſe non poſſint. Profecto ſi meum eſſet de magnorum hominum controverſiis aliquod ferre judicium, Muratorio illud prorſus aſſentirer: multo commodius, utilius atque omni ex parte melius futurum fuiſſe, ſi rei publicae moderatores curaſſent, ut Juſtiniani leges & clarius expreſſas & vernaculo ſermone perſcriptas haberemus, iis quae ſaepius repetuntur in digeſtis omnino reſecatis, legibus diſcordibus amputatis, nec non regulis indicatis, quas jureconſulti ſagaciſſimi, praeter illas in ea collectione contentas, innuerunt, cum res ad ſua principia revocarent. At enim librum Muratorii de *juris prudentiae maculis aut naevis* a cenſuris univerſis vindicandum illuſtrandumque ſuſceperat vir Muratorio multis juſtiſſimiſque de cauſſis amiciſſimus Dominicus Brichierius Columbius, qui nunc difficillimo muneri apud D. N. Petrum Leopoldum Magnum E-

truriae Ducem non levi cum gloria praeeſt. Graviſſimis tamen curis implicitus, quod volebat perficere nunquam potuit. Ceterum quid in ſcientia juris ac legum poſſet Muratorius, ex libris etiam ejuſdem *de cauſſa Comaclenſi* ſcriptis (quidquid plures Romani dixerint) apparet ſatis. Eos certe Victorius Amedeus Regum ſui temporis nemini prudentia & ſagacitate ſecundus tanti faciebat, ut Muratorium *optimum inter Italos Advocatum* & haberet & appellaret. Hoc autem a Cajetano Cennio, qui non ſatis aequus in Muratorium extitit, temere negatum *. Solius graviſſimis comprobat teſtibus **. Id videlicet Muratorio ſcripſerat Carolus Richa Regis medicus litteris datis XV. Kalendas Martii anno MDCCXX., & an. MDCCXLII. confirmaverant plures dignitate conſpicui homines ex Caroli Emmanuelis Sardorum Regis exercitu. Denique ad extremum contra jureconſultos, qui dictitare ſolent Muratorium de arte aliena ſcribendum ſuſcepiſſe, illud

* *Giornale di Roma ec. anno* 1760.

** Ante vitam Murat. edit. Aretinae an. 1767.

etiam eſt memorandum, inter opuſcula, quae reliquit inedita, reperiri nonnulla, quae *Scripturas legales* illi vocant. Eas inter eminere audivi *ſcriptum* neſcio quod *pro civitate Utinenſi apud Forum Julium*, cui competere jus negatum fuerat, ut ex ea Melitenſes Equites creari poſſent. Ex his, inquam, omnino conſtat, in ſcientia juris atque legum noſtrum hunc ab illis jureconſultis injuria hoſpitem dici. Tertium opus ad politicam, de qua dudum inſtituimus loqui, ſcientiam vel maxime faciens *de publica felicitate* diſſerit, quam viri principes ac Reges reſpicere ſemper debeant. Hic liber vernaculo ſermone conſcriptus editus eſt anno MDCCXLIX. Venetiis, Lucae tamen adſcito nomine, quamvis iterum eodem anno revera Lucae fuerit in lucem emiſſus. Probatus autem eſt ab univerſis fere lectoribus, ex quibus haud ita pauci litterarum gloria praeſtantes, datis ad Muratorium epiſtolis, quam magnifice ſentirent de illo, teſtari voluerunt. Comes etiam Richecourtius, qui tum Etruriae pro Caeſare Franciſco I. ſumma cum poteſtate praeerat, humaniſſimam & ipſe ad auctorem dedit epi-

ſtolam, qua, libro ſummopere collaudato, quin & pro ſuis quibuſdam legibus in eo probatis, animi ſui demonſtrata laetitia, inter magnos aetatis noſtrae homines illum ipſum enumerare non dubitat. Sed jam eo devenimus, ut fuſius nobis exponendum ſit, quantus in eo ſtudiorum genere fuerit Muratorius, quae ſcilicet eruditionis tum ſacrae tum prophanae nomine ſolent noſtris hiſce temporibus appellari. Complectuntur autem ea ſtudia hiſtoriam, chronologiam, veterum ſcriptorum, praecipue quod pertinet ad eas diſciplinas, illuſtrationem, & illam in primis nobiliſſimam atque utiliſſimam artem, tantopere doctis ab hominibus per duo praeſertim poſtrema ſaecula excultam, quae proprius ab iiſdem critica dici ſolet. Hic enimvero tanquam in Muratorii regno conſiſtimus. Etenim & ii qui contra Muratorium modo non exercebant inimicitias, aut eidem impotentius invidebant, ſummae cujuſdam & incredibilis eruditionis laudem nunquam ei denegare potuerunt. Primo quidem hic memoranda videtur *Diſſertatio de primis Chriſtianorum Eccleſiis*, quam an. MDCXCIV.

vigeſimum vix egreſſus aetatis annum elucubravit, ac Maecenati ſuo Antonio Felici Marſilio Praeſuli juris prudentiae praeſertim gloria nobili miſit. Ea quidem ante Muratorii obitum typis impreſſa minime fuit; ſed iis laudibus a Marſilio celebrata eſt, ut imprimi demum non ſine auctoris gloria potuerit *. Non poſſum hoc equidem loco, quin Cajetani Cennii temeritatem iterum arguam. Cum enim hic opus ipſum ad ea tempora ineditum nunquam videre potuiſſet, nimias fuiſſe Marſilii laudes & immeritas confidentiſſime ſcripſit. Hujuſmodi cenſuras exponere, meo quidem judicio, refutare eſt. Hinc etiam facile colligas, quid ſit de Cennio ipſo ſentiendum *Anecdota Latina*, quae juvenis edidit Muratorius, parvi facienda eſſe jactante. Atqui vel primum ipſorum volumen tanti factum eſt a doctiſſimis viris, ut ex eo tempore cum Ludovico Antonio jungere amicitias voluerint, ex

* Vide Marſilii epiſtolam ad Murator. apud Soliùm in Append. I. N. I.

quibus equidem Joannem Lamium * ſequutus commemorabo Henricum Noriſium, Joannem Ciampinium, Antonium Magliabechium, Joannem Mabillonium, Bernardum Montfauconium, Danielem Papebrochium, Antonium Mariam Salvinium. Hoc opus primum fuit inter omnia a Muratorio elucubrata, quae quidem ipſe typis evulgaverit. Cum enim Mediolani codices Ambroſianae bibliothecae pervolveret, aliquot invenit veterum ſcriptorum opuſcula nondum edita, ad quae ſtatim illuſtranda incredibili ſtudio incubuit. Primum volumen typis Mediolanenſibus prodiit menſe Julio anno MDCXCVII. cum nondum ille quintum ſupra vigeſimum expleſſet aetatis annum. Continet autem quatuor S. Paulini Epiſcopi Nolani poemata, quorum tria in honorem S. Felicis martyris condita, ac die ipſius natali pronunciata, *Natalia* appellantur; quartum autem *contra Paganos* inſcribitur. Singula vero poemata, praeſertim ubi difficiliores occurrunt loci, opportunis illuſtrat animadverſionibus, duas etiam ac vi-

* *Lami elogio del Muratori ec.*

ginti *Diſſertationes* ſubjiciens, quibus res ad trutinam revocat diligentiore dignas examine. Singularum argumenta breviter indicabimus, quod non ſatis quid in iis contineatur ex ipſo voluminis indice appareat. Itaque prioribus octo multa diſputat de illuſtribus aliquot hominibus a Paulino celebratis; at aliis quinque ſubſequentibus de ipſo agit Paulino, cujus vitam atque res geſtas in clariore, quam fuiſſet ad ea tempora praeſtitum, luce collocat. Decimaquarta *Diſſertatio de miraculis* agit S. Felicis, cujus etiam obitum, contra ſententiam antiquiorum, ad quartam Aerae vulgaris aetatem eumdem referentium, ad ſecundam pertinere S. Paulini auctoritate ſtatuere ſe ſe poſſe putat. Tum XV. *Diſſertatio* corpora ſanctorum Martyrum Gervaſii atque Protaſii a Divo Ambroſio, non anno CCCLXXXVII. ut Baronius, Puricellius, aliique exiſtimarunt, ſed anno CCCLXXXVI. inventa, atque hinc ad annum CCCLXXXVII. Divi Auguſtini converſionem ad Catholicam Fidem eſſe rejiciendam probat. XVI. Henricum Ottium Calvinianum impugnat, qui Baronium reprehen-

derat affirmantem, aureis atque argenteis vaſibus ac pretioſa ſupellectile veterum Chriſtianorum templa fuiſſe exornata, atque in iis ad Martyrum ſepulchra cereos ac lampades accendi conſueſſe. De veterum Chriſtianorum ſepulchris agit XVII., ac morem intra ſcpta Eccleſiarum cadavera humandi multo eſſe antiquiorem Gregorii Magni temporibus contra Kepperum alioſque Proteſtantes oſtendit. De votis atque *votivis* Chriſtianorum *oblationibus in Sanctorum honorem* eſt XVIII. qua Eraſmus Roterodamus, qui in dialogo, cui titulus *Naufragium*, ea deriſerat univerſa, refutatur. At XIX. Pagium oppugnat, qui *Sanctorum* plerorumque *feſtivitates* non iis, quibus mortui fuerant aut ſepulti diebus, ſed aliis omnino celebratas fuiſſe poſuerat. Quaenam ſententia Paulini fuerit in iis poematibus de rerum elementis, in quibus etiam caelum numerabatur ab eo, XX. explicat, & in eadem opinione de caelo non modo quoſdam Eccleſiae Chriſtianae Doctores, at ipſum Ariſtotelem fuiſſe demonſtrat, quamvis id ejus recentiores interpretes nunquam adverterint. De forma ſan-

ctiſſimae Crucis, XXI. diſputat, ac Paulini temporibus non modo quam *Commiſſam* dicimus, ſed & quam *Immiſſam*, qualem videlicet nos effingere conſuevimus, in uſu fuiſſe conficit. Poſtrema demum *Diſſertatione* de operibus Paulini deperditis agendum ſumit, ac nonnulla eorum fragmenta colligit, & quas variantes lectiones appellare conſuevimus. Ex iis putaſſe Paulinum, quod Hieroſolymae excidium anno poſt Chriſti in caelos aſcenſum XLII. contigerit, ejuſque mors anno XV. fuerit Tiberii Caeſaris, duobus Geminis conſulibus, hoc eſt Aerae vulgaris anno XXIX., deprehendit. Denique ad extremum appendicem addit *de antiquo jure Metropolitae Mediolanenſis in Epiſcopum Ticinenſem* in octo capitula tributam; in qua ſeptem prioribus Eccleſiae ſaeculis hunc illi fuiſſe ſubjectum idoneis argumentis videtur oſtendere. Hoc eſt primum illud *Anecdotorum* volumen, quod vix conſcriptum juvenis Muratorius, ut ipſe teſtatur in *epiſtola de ſtudiorum ſuorum ratione ad Comitem Articum de Porcia* familiariſſimum ſuum, nemine con-

ſulto,

ſulto, nec limae nec morae patiens multo felicius quam prudentius edidit. Ea, quae hoc in volumine continentur, iterum typis edita ſunt Veronae an. MDCCXXXVI. cum Paulini univerſa imprimerentur opera, aliquibus tamen ab Auctore ipſo immutatis, aliquibus etiam additis. Quae vero contra opus iſtud ſcripta ſunt à nonnullis, leviſſimi momenti videntur eſſe. Anno MDCXCIX. Euſtachius a S. Eubaldo in *prooemio* ad librum *de Metropoli Mediolanenſi*, quod ipſi Muratorio inſcripſit, *Chronicon Datii manu ſcriptum* idem eſſe atque illud Landulphi Mediolanenſis hiſtorici, contra ſententiam Muratorii, multis argumentis probare contendit. Non ante iis reſpondere Muratorius voluit, quam cum volumine IV. *Rerum Italicarum ipſius Landulphi Chronicon* ederet. Tunc enim iis, quae ab Euſtachio fuerant allata, in *prolegomenis* abunde ſatisfecit. Alii quidem litteratiſſimi viri in eo diſſenſerunt a Muratorio, quod poema quartum, quod ipſe Paulino tribuerat, alius poetae, cui nomen Antonio fuiſſet, foetum eſſe dicendum exiſtima-

rent. Potiſſima vero ipſorum ratio fuit; quod in primo poematis verſu Antonium ipſe videatur ſe ſe appellare, cum dicat,

Diſcuſſi, fateor, ſectas Antonius omnes.

Inter eos, quos laudavimus, homines eminent Joannes Lironius, Joannes Albertus Fabricius, ac demum qui *litterariam Galliae hiſtoriam* anno MDCCXXXV. emiſerunt. Illi argumento Muratorius in una enarratione Veronenſis, de qua diximus, editionis haec repoſuit: *Antonius. Quem Paulinus haec adloquatur, quis me doceat? Nominativum pro Vocativo ab antiquis adhibitum oſtendit Voſſius Lib. IV. Cap. V. de Arte Grammatica*. De aliis, quae contra Muratorii ſententiam a Gallis illis auctoribus allata ſunt, vide Solium *. Jam vero alterum *Anecdotorum Latinorum* volumen an. MDCXCVIII. typis etiam Mediolanenſibus Muratorius publici juris fecit. Primo quidem *prolegomenis* & *animadverſionibus* elucidat *Profeſſionem Fidei* aut *Apologiam Bacchiarii* ſcriptoris ad III. ſaeculum

* *Vita del Muratori Cap. IX.* §. 4.

Aerae Chriſtianae pertinentis, quam deperditam eruditi viri exiſtimaverant, ipſe autem in codice Ambroſianae bibliothecae annorum ſaltem mille antiquitatem praeferente adinvenerat. Deinde *hiſtoriam* exhibet a *Joanne de Cermenate conſcriptam*, qui ſcriptor ſaeculi XIV. res ab Henrico VII. Imperatore geſtas in Italia fuſiore quam ceteri oratione perſequitur. Exinde *fragmentum* deſcribitur *vetuſtiſſimum*, in quo Manichaeorum damnantur errores. Hoc autem ſingulari *Diſſertatione* illuſtratur. Tum oratio ſubſequitur adhuc inedita Aeneae Sylvii Piccolominei Senenſis Epiſcopi, qui Pius II. poſtea dictus eſt, cum Romanam cathedram tenuit. Eam Vindobonae habuerat Aeneas an. MCCCCLXII. cum Pontificius illic eſſet Nuntius, contra populos Auſtriae, qui Nicolai V. juſſibus obtemperare detrectaverant appellantes ad Generale Concilium. Subjicit huic *Diſſertationem* ſuam Ludovicus Antonius formulam exhibens manumiſſionis, ſine qua nemo poterat ex aliqua familia ſeu domo ſacros ordines ſuſcipere, tum de ipſa manumiſſione, tum de priſco codice, ex quo illam habue-

rat, erudite multa obſervans & adnotans. Alia *Diſſertatione* illuſtrat *Catalogum ſanctorum Martyrum*, qui temporibus S. Gregorii Magni Romae ſepulti colebantur; quem quidem non ex Ambroſiana bibliotheca, ex qua cetera opuſcula, ſed ex muſaeo Settaliano Mediolani habuerat. Demum inedita quaedam *Chronica Regum Italorum*, *Conſtitutionem Henrici I. Imperatoris*, verſus aliquot antiquiſſimos in bibliotheca quondam S. Iſidori Hiſpalenſis aſſervatos, & *Expoſitionem Fidei Venantii Fortunati* profert, & ex hac occaſionem ſumit condendae *Diſſertationis de vero Symboli auctore, quod Divo Athanaſio tribuitur*. Demum *Barzizii orationem epitalamicam* & aliam incerti auctoris ſaeculo XV. habitas proferens Borromaeae gentis, quae in illis celebratur, laudes ſingulari *Diſſertatione* perſequitur. Ex Bacchiario, de quo diximus, occaſionem accipit *Diſſertationis de quatuor Temporum jejuniis*, cui *Commentarius* ſubjicitur *de Corona Ferrea*, qua nimirum in Italiae Reges Romani Imperatores inaugurabantur. Hoc alterum *Anecdotorum* volumen non minus, aut fortaſſe magis, quam primum do-

ctiſſimis placuit hominibus. Fontaninius tamen anno MDCCXVII., cum maxime de rebus Comaclenſibus arderet controverſia, Muratorii *commentarium de Corona Ferrea*, alia ejuſdem argumenti edita *Diſſertatione*, carpendum ſumpſit. Ut aliquid ei reponeret Muratorius eo tempore minime curavit; at cum epiſtolae reſponderet Joannis Burchardi Menchenii, qui Muratorium ſciſcitatus fuerat, quid eſſet de Fontaninii rationibus omnino ſentiendum, easdem ſibi diſſolvendas ſuſcepit *. Alia etiam ad ſuam contra Fontaninium defendendam opinionem attulit in eo *prooemio*, quod *Chronico* praemiſit *Matthaei Villani*, cum XIV. adornaret *Rerum Italicarum* volumen. Locus ipſe poſtulat, ut aliquid *de tertio & quarto* dicamus *Anecdotorum Latinorum volumine*, quorum utrumque, cum Ambroſianae praeſideret bibliothecae, maxima ex parte confecerat, quamvis non ante annum MDCCXIII. lucem ea vi-

* Aliqua Muratorianae epiſtolae fragmenta Petrus Burmannus edidit poſt praefationem ad P. I. Volum. IV. *Theſauri Scriptorum Italiae*, quem a Grevio inchoatum ipſe produxerat.

dere potuerint. Edenda autem curavit typis Patavinis Georgius Cornelius Patavinus Epiſcopus, S. R. E. Cardinalis, vir de litteris ac litteratis hominibus optime meritus. Ideo libros eos fratri Cardinalis Venetiarum Duci auctor inſcripſit. Quae contineantur in iis hoc loco proſequi & nimis longa res eſſet & minime neceſſaria. Etenim ex eadem Ambroſiana bibliotheca multa deprompſit noſter adhuc inedita veterum Latinorum ſcriptorum opuſcula, epiſtolas, orationes, ſermones, aliquot etiam parva chronica & hujuſmodi alia, in quibus praeter antiquitatem & auctorum nomina nihil admodum fortaſſe ſuſpexeris. Neque vero ſuam aliquam iis *Diſſertationem* noſter appoſuit, quod in prioribus duobus voluminibus praeſtiterat; quamvis & ea doctis & admodum brevibus praefationibus & quibuſdam animadverſionibus illuſtraverit. Ipſa ſimilitudo argumenti nos cogit, ut jam de Muratorii *Anecdotis Graecis* verba faciamus. Ea quidem anno MDCCIX. edidit ex manu ſcriptis item codicibus. Continet autem hic liber octo ac viginti ſupra ducenta epigrammata Gregorii Nazianzeni,

cui Theologi cognomen fuit; epiſtolas quinque & quadraginta Firmi Caeſaraeae Epiſcopi, qui ſaeculo V. floruit, epiſtolas quatuor Juliani Imperatoris, quem Apoſtatam dixere Patres, ac denique epiſtolam ad Dionyſium, quae Julio I. Summo Pontifici tributa eſt. Non modo haec omnia, quae in bibliothecarum pulvere deliteſcebant, diligenter collecta edidit, ſumptus in eam rem Cardinali Cornelio, quem paullo ante laudavimus, ſuppeditante, ſed & e Graeco vertit, & perpetuis illuſtravit enarrationibus atque emendavit. Nazianzeni quidem verſus magnam partem ex codice collegerat Ambroſianae bibliothecae ante ſeptingentos annos exarato; partem a Joanne Boivino Regis Chriſtianiſſimi bibliothecario, partem ab Antonio Maria Salvinio, denique partem a Joanne Baptiſta Miraeo ex ordine S. Benedicti obtinuerat. Haec autem epigrammata de multis nos certiores faciunt ad ipſum Nazianzenum, ejuſque domum & amicos pertinentibus, quae videlicet antea latuerant. Ex epigrammate CXXXII. Nazianzenum ipſum fuiſſe matrimonio conjunctum Theoſebio ſan-

ctiſſimae feminae omnino videretur, niſi ſuppoſitum illud fuiſſe Muratorius ipſe multis juſtiſſimiſque de cauſſis eſſet ſuſpicatus. Tres autem *Diſquiſitiones* iis carminibus noſter adjecit, quae magnam *Chriſtianae Antiquitatis* notitiam prae ſe ferunt. Primam *de Syniſactis & Agapetis*, celeberrimo Bernardo Montfauconio dicatam inſcripſit. Ii autem Syniſacti aut Agapiti Clerici erant ſive Monachi, qui poſtquam Deo caſtitatem voverant, cum virginibus Deo plerumque ſacratis cohabitare non dubitabant. Amorem autem erga ipſas aut *communionem* profitebantur, quae ad *ſpiritum* unice pertineret, ex qua etiam re nomen habuerunt. Putat autem Muratorius ab Ethnicis ac praecipue a ſchola Platonis amorem illum adeo periculoſum in ipſos dimanaſſe Chriſtianos, eique praecipue dediſſe operam Origeniſtas, Geracitas, Encratitas ac Gnoſticos, qui non alio nomine quam *Fratrum* ab ipſis Agapetis adamato in nefariis illis commerciis appellari volebant. Multa autem de origine atque progreſſibus illius abuſus; nec non de Patribus atque Conciliis eumdem reprehendentibus erudite per-

ſequitur. Obiter autem haereticos, praeſertim Henricum Dodwellum, confutat, qui Sacerdotum caſtitatem ac virginitatis cultum recentiorum ſaeculorum ſuperſtitionem fuiſſe calumniantur. Altera *Diſquiſitio* Joanni Boivino inſcripta *de Agapis ſublatis* eſt. Agit autem de conviviis, quae Chriſtiani veteres in Martyrum honorem diebus, quos ipſorum *natalitia* vocabant, celebrare conſueverant. Ipſius opinio eſt, ſanctorum Patrum maxime Nazianzeni auctoritate fulta, hujuſmodi morem ab Ethnicis fluxiſſe, non ab Apoſtolis. Cum enim illi neceſſariorum & amicorum mortem ſolemnibus epulis proſequerentur, iis mortuorum animos perfrui exiſtimantes, antiquiſſimi Chriſtiani ſtultum ritum non ita facile deſtrui poſſe rati, in purum ac religioſum convertere conati ſunt. Tum de abuſibus differit, qui ſenſim gliſcere coeperunt, quibusque de cauſſis eam ceremoniam de medio tollere Patres & Concilia decreverint. Tertia *Diſquiſitio* Fontanino nuncupata *de antiquis Chriſtianorum ſepulchris* differit. Illud in hac *Diſquiſitione* nobis occurrit memoria dignius, quod etiam apud

antiquiſſimos Chriſtianos in Oriente in more poſitum fuiſſe probat, ut in ſacris aedibus vita functi tumularentur. De lege autem VI. Codicis Theodoſiani diſſerit, quae non modò Haereticos, ſed & aliquos Catholicos in errorem induxerat. Fidelium ſepulturam in Eccleſiis omnino fuiſſe vetitam. Oſtendit autem nullo modo fuiſſe futurum, ut hujuſmodi ſepulturam Imperatores interdicerent, niſi antea in more fuiſſet; ſed & eam *Conſtitutionem* Pancratiò Conſtantinopolis Praefectò miſſam ad eam tantummodo urbem, non ad Imperium univerſum pertinuiſſe, imo ne ad ſuburbana quidem fuiſſe extenſam; quae hanc eamdem ob cauſſam valde multiplicari coeperint. Epiſtolas autem Firmi, de quibus diximus, e codice deſcripſit bibliothecae Ambroſianae, qui verſus XI. ſaeculum videtur exaratus. Multa autem Auctor adnectit de ipſo Firmo cognitu ſatis digna. In eodem codice epiſtolas, quas exhibet, Juliani Apoſtatae invenit. Prima praeſertim & quarta erudito lectori gratiſſimae accidunt. Epiſtolam Julio I. ab Eutychianis falſo tributam eo conſilio primum ex codice

Ambroſiano edidit, ut ex ipſa ejus lectione quam futilis ea calumnia fuerit a Centuriatoribus Magdeburgenſibus renovata, facilius appareat. Quartam autem huic *Diſquiſitionem* ſubjecit, cui titulus, *In epiſtolam ſub Julii I. nomine impreſſam*, Antonio Mariae Salvinio dicatam. Oſtendit autem Gennadium Maſſilienſem V. ſaeculi ſcriptorem fuiſſe primum, qui eam epiſtolam Julio Pontifici tribueret, quamvis eamdem, ut idonea Muratorius ratione conjicit, nunquam ille fortaſſe viderit. Opinatur autem noſter cum Leontio Byzantino haereticum Apollinarem ejus epiſtolae verum auctorem eſſe: ac certe Julio Pontifici tribui non poſſe iis efficit argumentis, quibus nulla ſolida ratio reponi poſſe videatur. Ex hoc etiam opere Muratorii liquidius judicari poteſt, quod aliis etiam rationibus omnino conſtat, quantopere Graecum ſermonem ille calluerit. Quamobrem neſcio equidem, quid Cajetano Cennio in mentem venerit, cum ejuſdem ſermonis cognitionem in Muratorianis operibus non multum eminere affirmavit. Eos publico bono non parum conſulere, qui homi-

num quavis eximia laude florentium vitas conſcribendas ſuſcipiunt, nemo eſt quin plane ſentiat ac fateatur. Id cum Muratorius intelligeret, hanc etiam hiſtoriae, quamvis recentioris, & eruditionis utiliſſimae partem in ipſo juventutis flore ſibi duxit excolendam. Cum adhuc eſſet Mediolani vitam exaravit Caroli Mariae Maggii poetae celeberrimi & ſtudiorum & morum ſimilitudine Ludovico noſtro conjunctiſſimi, qui anno MDCXCIX. diem clauſit extremum. Ut enim extincti deſiderium levaret, non modo bene multos effudit verſus, ſed ſtatim ad ejus res geſtas & ſcriptas, moreſque poſterorum memoriae commendandos incubuit. Ea quidem vita edita eſt Mediolani anno MDCC. cum ejuſdem poetae carminibus in quinque parva volumina diſtributis ejuſdem Muratorii opera ac ſtudio. Sed anno MDCCV. Romanis Arcadibus efflagitantibus, ejuſdem Maggii vitam, nec non aliam Franciſci Lemenes, qui etiam & probitate morum, poeſeos & gloria iiſdem fere, quibus Maggius, temporibus celebratus fuerat, in pauciora contraxit, qua de re inter ipſos Arcades coo-

ptatus fuit. Ad haec edidit Mutinae anno MDCCXX. vitam Pauli Segneri Junioris e Societate Jeſu cum *piis Exercitationibus* ea ratione digeſtis, qua ſolebat is eaſdem populo proponere. Maxima quidem fuerat Muratorius jam ab anno MDCCXII. cum Segnero familiaritate conjunctus, eidemque ſacris, ut vocant, in miſſionibus ſemper aſſiterat. Curaverat etiam, ut Mutinae illas perageret; qua de re a multis reprehenſus fuerat, cum dicerent hujuſmodi ſpectacula potius in caſtellis aut pagis apud ruſticos homines, quam apud politiores cives in urbibus exhibenda. Sed exitus apud Mutinenſes Muratorii conſilium haud leviter comprobaverat. Itaque poſtmodum, ut Segnerus an. MDCCXIII. in templo Divi Auguſtini *pias*, de quibus diximus, *Exercitationes* traderet, facile noſter impetravit. Jam ab anno MDCCXV., quo ſcilicet anno Senogalliae Segnerus obiverat, ejus res geſtas memoriae tradere decreverat; ſed pluribus de cauſſis impeditus rem differre coactus fuerat: praeſertim quod Jeſuitae, qui non ſatis adhuc Muratorium fortaſſe noverant, parum ei fidere, nec velle

monumenta quaedam e ſuis tabulariis ad Segnerum pertinentia ejus integritati ac probitati committere videbantur. Quod pertinet ad opuſculum de *piis Exercitationibus* Segneri vitae ſubjectum, auctoris illud non modo reminiſcendi vim prope ſingularem, cum ipſis fere verbis, quibus Segnerus fuerat uſus, ipſe uteretur, ſed & pietatem in Deum ac fervorem quemdam amoris in Jeſum Chriſtum aperte declarat. Reprehenſus tamen eſt liber a nonnullis, quod dicerent pietati erga Deiparam ceteroſque Caelicolas adverſari: qua quidem calumnia vel ſaltem errore, quid injuſtius, aut certe abſurdius excogitari potuerit, equidem neſcio. At de hujuſmodi injuriis Muratorio illatis alio loco. Ludovicus Caſtelvetrus etiam, qui communem cum Muratorio patriam habuit, id promeritus eſt, ut vir tanti nominis ac doctrinae vitam ipſius elucubraret. Praeſtitit id praecipue Muratorius, ut Argelatio neceſſario ſuo morem gereret, qui vitam eam exoptaverat, quo nonnullis ipſam Caſtelvetri opuſculis hactenus ineditis in eorum, quam parabat, editione praemitteret. Illa quidem

ita explicata eſt, ut hominem in aliorum ſcriptis dijudicandis quam qui maxime verſatum de homine ſcribere decebat emunctae naris, quem ſui temporis Ariſtarchum non abſurde dixeris. At quoniam aliquid de Hannibale Caro Caſtelvetri multis de cauſſis adverſario detrahere viſa eſt, vehementer offendit Dominicum Lazzarinium virum apprime doctum, at difficilis cujuſdam acriſque naturae. Itaque epiſtolis duabus ad Muratorium, quicum non levis amicitia intercedere viſa fuerat, anno MDCCXXIX. datis *, ſe ſe Cari defenſionem ſuſcepturum eſſe minitatus eſt. Multa quidem ipſum animo ſuo moliri, quo Caſtelvetri elevaret auctoritatem & ſcriptorem ejus vitae confutaret, ſatis apparebat. Quid ille praeſtiterit, non omnino liquet. Attamen haud temere ſuſpicari mihi videtur Solius, ſcriptorum, quae anno MDCCXXXII. & MDCCXXXIII. de rebus poeticis contra Muratorium prodierunt, fuiſſe Lazzarinium auctorem; qua de re alio etiam loco diximus. At multo majorem Caſtelve-

* Vid., ſi vis, eas apud Solium in Append. I. ec.

tri vita maledicendi occaſionem Juſto Fontaninio praebuit ob controverſiam de Comaclenſi ditione contra Muratorium vehementius irato. Cum enim Fontaninius corrigendum & amplificandum ſuum *de Itala Eloquentia* librum ſuſcepiſſet, non dubitavit in ipſo Caſtelvetrum haereticum appellare, quin & eodem nomine contra Muratorium impotentius invehi. Quamvis eodem anno Fontaninius obiiſſet, non putavit Muratorius, cum tanto de crimine ageretur, ſibi diſſimulandum. Itaque ut Caſtelvetrum ſeque defenderet, anno MDCCXXXVII. libellum edidit Italico quoque ſermone, quem *Primum* inſcripſit *Examen Italae Fontaninii Eloquentiae*. At ſibi vir mitiſſimus imperavit, neque ultra ut habuerat in animo, progreſſus eſt, cum reſcivit alios, praeſertim Apoſtolum Zenum, Fontaninii opus ad trutinam revocaſſe. Attamen Muratorii libellus iterum editus eſt an. MDCCXXXIX. ſimul cum *defenſione Ferrarienſium Scriptorum* a Joanne Andrea Barottio exarata, & aliis quibuſdam. Scipio etiam Maffejus Muratorii defenſionem contra

Fonta-

Fontaninium ſuſcepit *; quem certe ſapientes quique viri modum omnem in ſuis objurgationibus exceſſiſſe facile conceſſerunt. Vitam quoque Caroli Sigonii ſcripſit Muratorius, hanc tamen Latino ſermone, quemadmodum & alias Tortii ac Raynaldi I., de quibus mox, cum reliquas Italico elucubraverit. Sigonius quidem vir fuerat de litteris ab ipſa juventute optime meritus, nec mediocre decus Mutinenſi civitati addiderat. Itaque cum Argelatius opera omnia Sigonii edere vellet, facile a Muratorio, ut is, quae pertinerent ad tanti viri memoriam colligeret, impetrare potuit. Legitur ea vita initio primi voluminis operum Sigonii, quae Mediolanenſibus typis anno MDCCXXXII. prodierunt. At quod vitam conſcriberet noſter auctor Joannis Joſephi *Urſii* Bononienſis, non tam nobilitate quam integritate morum ac doctrina praeſtantis, amori tribuit, ac grati animi erga ipſum virtuti omnino ſingulari. Cum enim Mutinae Urſius plures

* Vid. *To. II. delle Oſſervazioni Letterarie* ipſius Maffeii.

vixiſſet annos, magna illi cum Muratorio ſamiliaritas interceſſerat; cumque is anno MDCCXXXIII. mortem obiiſſet, univerſos bibliothecae ſuae libros ipſi Muratorio legato reliquerat. Cum igitur Italica illius carmina imprimenda poſt ejuſdem obitum eſſent, ac reliqua opera, *theſibus* quibuſdam *equeſtribus*, ita enim appellabantur, exceptis, rurſus edenda, vitam ejus Muratorius poſterorum memoriae ultro mandare voluit. Edita eſt ea vita ante carmina, quae diximus, nec non in ſecundo volumine operum Urſii anno MDCCXXXV. typis impreſſorum. Ad hoc etiam hiſtoriae genus, quo clarorum hominum vita immortalitati commendatur, pertinere videtur epiſtola, quam an. MDCCXXXV. dedit ad Apoſtolum Zenum haud ſemel a nobis commemoratum. Etenim in ea fuſius agit de cauſſis, propter quas Alphonſus II. Ferrarienſium ac Mutinenſium Dux Torquatum Taſſium in noſocomio S. Annae Ferrariae concludi juſſerat. Ea quidem epiſtola praefixa legitur pluribus ejuſdem poetae epiſtolis antea ineditis a Muratorio collectis, quae volumine X. operum Torquati Taſſi Ve-

netiis anno MDCCXXXIX. impreſſorum leguntur. Facile quoque ſe ſe exorari paſſus eſt Ludovicus a Bartholomaeo Soliano, qui Alexandri Taſſoni celeberrimum illud, quod vocant *Eroico-comicum*, poema rurſus imprimere typis cogitabat, ut etiam tanti viri componeret vitam, qui Mutinenſi & ipſe civitati non mediocri fuerat ornamento. Venetiis eo ferme tempore Taſſoni poema committebatur typis. Itaque Typographus Apoſtolum Zenum impulit, ut eam vitam ab amiciſſimo ſuo Muratorio efflagitaret; primus tamen Solianus edidit an. MDCCXXXIX. ac paulo poſt etiam Venetiis Typographus, de quo diximus. At commentarium hoc poſtea noſter pluribus augere potuit additamentis, cum quibus bis ab eodem Soliano anno MDCCXLIV. poemati Taſſoni bis item impreſſo praefixum eſt. Ea quidem vita non mediocris controverſiae, quamvis de cauſſa fortaſſe levi, extitit inter duos apprime doctos homines origo. Muratorius enim affirmaverat Taſſonum inter Lynceos Academicos, qui Romae ſumma cum gloria floruerant, eſſe numerandum. Scripſerat id eorum

Academicorum ſyllabo confiſus, quod Roma miſſum eidem communicaverat Dominicus Vandellius in Mutinenſi lyceo Mathematicarum diſciplinarum Doctor. Negavit id argumentis quibuſdam allatis Joannes Blancus Arimini medicus in *Lynceorum Notitia* *, ſic enim appellavit, *Fitobaſano Fabii Columnae* praemiſſa. Noluit Ludovicus in arenam contra Blancum ea de cauſſa deſcendere. Deſcendit itaque Vandellius, ac pluribus ex utraque parte ſcriptis, acrius fortaſſe quam oportuerat, pugnatum eſt; de quibus nihil nos attinet plura dicere, niſi Joannis Lamii judicio Vandellium omnino cauſſa cecidiſſe **. Mutinenſis etiam fuit Franciſcus Tortius, qui medicinam in patria ſumma cum laude fecerat. Liber ejus de *medicamine, quod veteribus ignotum China-china vocatur* a noſtris, pluris fieri ſolet ab iis, qui de his rebus judicare poſſunt, quam alia ſexcenta medicorum volumina. Obierat is an. MDCCXLI. Ante ipſius opera denuo Venetiis edita anno

* *Notizia de' Lincei*.

** Vid. *Elogio del Muratori*, & ejuſdem *Litterarias Ephemerides* pluribus locis.

MDCCXLIII. legitur ejuſdem vita a Muratorio, ut diximus, Latinis litteris tradita. Muratorius etiam epigraphen ad ejus tumulum in S. Auguſtini compoſuit, quo tanti civis deſiderium Mutinenſes teſtati ſunt. Hic quoque memorandum a Muratorio Raynaldi I. Ducis Mutinenſis, fortis ac magnanimi viri, litterarum fautoris vitam Latino ſermone fuiſſe conſcriptam, quam Lamius a ſe auctam edidit anno MDCCXLII. Denique vitam explicavit Benedicti Jacobini Varalenſis Praepoſiti, quem omni virtute ad Catholicum Parochum ſpectante ſummopere florentem jam ab iis temporibus, quibus Mediolani fuerat, valde ſuſpexerat. Haec vita Patavii edita Latinitate donata eſt a Petro de Straſoldo Goritienſi, quo utilior eſſet Germaniae Parochis. Equidem praeterieram de Latina epiſtola Muratorii ad Jo. Albertum Fabricium verba facere. Hanc donatam nomine *Commentarii de vita & ſcriptis Jo. Alberti Fabricii* editam invenies an. MDCCXXXVII. ab Hermanno Samuele Reimario. Praetermiſeram quoque epiſtolam aliam ad Comitem Joſephum Mariam Jacobattium in Franciſci Pu-

ricellii laudem ; quae quidem epiſtola ante Italica ipſius Puricellii carmina Mediolani legitur impreſſa. Ambae autem praeclarorum hominum vitas illuſtrant. At quis, ubi de Muratorio agitur, aliquid ab eo ſcriptum, cum tot compoſuerit libros, nedum opuſcula, quot vix alii etiam litteris dediti diligentius legerint, non facile praetermittat? Non levem hominis eruditionem hactenus enumerata opera patefecerunt. Verumtamen gloriam ille multo majorem apud aequos rerum aeſtimatores & a ſtudio partium alienos iis ſibi peperit ſcriptis, quibus Ateſtinae Domus tum jura tum dignitatem acerrime propugnavit. Ac primo quidem de controverſia nobis dicendum eſt, quam ab an. MDCCVIII. contra Juſtum Fontaninium ac Laurentium Zaccagnium, vel potius contra Romanam aulam habuit. Cum enim eodem anno Joſephus I. Auſtriacus Romanorum Imperator Auguſtus, quadam cum Clemente XI. Summo Pontifice ſimultate intercedente, Comaclum armis occupaſſet, ac brevi compoſita pax fuiſſet ea conditione, ut de juribus Caeſaris ac Domus Ateſtinae in Comaclum,

quin & hujus in Ferrarienſem quoque ditionem amice cognoſceretur, plurima Romae ſunt inter miniſtros ex una parte Summi Pontificis, ac Caeſaris & Ateſtinae Domus Legatos ex alia, maximo animorum ardore diſputata. Demum Juſtus Fontaninius ac Laurentius Zaccagnius a Romanis electi ſunt, ut pro Summi Pontificis jure ſcriberent, Muratorius autem a Raynaldo Mutinenſium Duce, ut pro ſe, utrique reſponderet. Ipſo an. MDCCVIII. Fontaninius primum in ſcenam prodiit, edita *epiſtola*, ut *dominationem Summorum Pontificum in Comaclum per decem continua ſaecula* demonſtraret *. Eodem anno reſpondit Fontaninio Muratorius, *obſervationibus in eam epiſtolam editis*, quae *obſervationes* ex Italico in Gallicum converſae ſermonem iterum anno MDCCX. Hagae Comitum in Hollandia prodierunt. Anno autem MDCCIX. rurſus Fontaninius extitit eamdem producens epiſtolam, iis additis, queis Muratorio ſatisfacere ſe ſe

* *Il Dominio temporale ſopra la città di Comacchio, ec: per lo ſpazio continuato di dieci ſecoli ec.*

poſſe exiſtimaverat; extitit & Zaccagnius cum opere Latino, quod inſcribebatur *Diſſertatio hiſtorica de ſummo Apoſtolicae Sedis Imperio in Urbem Comitatumque Comacli*: utrique: venit obviam noſter *libello ſupplici Raÿnaldi Ducis nomine ad Caeſarem Auguſtum dato*: quod Raynaldus idcirco juſſerat, ut Romanis occurreretur multa per id temporis Viennae molientibus, quo poſſeſſionem Comacli Caeſar dimitteret. Sed anno MDCCXI. libri duo in eamdem cauſſam prodiere, alter Muratorii, qui *Comaclenſium Quaeſtionum*, alter Fontaninii, qui *Secundae Defenſionis Pontificii in Comaclum dominatus* praeferebat titulum. Demum cum ſe collegiſſet Muratorius, & omnia ad tanti momenti cauſſam pertinentia maturius ad examen revocaſſet, an. MDCCXII. aliud edidit pro Domo Ateſtina opus, quod *Plenam Expoſitionem Jurium Imperialium & Eſtenſium in Comacli urbem nuncupavit*; & hoc quidem opus anno, qui conſequutus eſt, de Italico Gallicum factum Trajecti ad Rhenum ſecundo fuit editum. Inſtituti noſtri fert ratio, ut quid ſibi voluerit Muratorius his in libris, breviter indicemus. Putat ipſe

Comacli urbem cum vallibus circumjectis, quamvis a Pontificiis fuerit an. MDXCVIII. occupata, ad Imperii Romani jura pertinere; atque hinc ad Ateſtinos, quod an. MCCCLIV. quin & ad ſua tempora, ejus regionis, quam barbari dixerunt, *inveſtituram* Ateſtinis Imperatores conceſſerint. Probare contendit etiam civitatem eam Ferrarienſis ditionis nunquam fuiſſe partem; neque eam unquam a Pontificibus Ateſtinos tenuiſſe; quin & pro iiſdem Ateſtinis facere *praeſcriptionem pluſquam centenariam*, cujus vim his etiam in rebus ultro, qui pro aula Romana ſcribebant, agnoſcerent. Haec de Comaclo. Ad Ferrariam quod pertinet, ut Domini ſui jura defenderet, aliud exaravit opus, quod anno MDCCXIV. typis impreſſum eſt, non tamen in vulgus editum. Contendit autem ille majores Mutinenſium Ducum injuria fuiſſe a Clemente VIII. Summo Pontifice ditione Ferrarienſi ſpoliatos. Cum aliquantum in tantis litibus ardor animorum deferbuiſſe videretur, aliud pro Eſtenſi Domo de Raynaldi mandato ſuſcepit onus Muratorius profecto non leve. Fontaninius, qui eo erat animo,

ut iram tenere ſibique imperare vix poſſet, de rebus Comaclenſibus ſcribens eo ſe ſe abripi ſiverat, ut antiquitatem ac nobilitatem Ateſtinae Domus in dubium revocaret. Muratorius quidem ab anno MDCCXI. de nobilitate illius inclytae Domus praeclare ſcripſerat, quum *duabus epiſtolis Latinis ad Leibnitium datis* * ex eodem eſſe ſtipite Eſtenſem ac Brunſvicenſem familiam, hoc ſaeculo Magnae Britanniae Regno potitam oſtenderet. Etenim Guelſus IV. Azzi II. Marchionis Eſtenſis filius in Germaniam conceſſerat, ac Bavariae Dux creatus fuerat, cujus poſteri eidem ditioni Saxoniam adjecere. His autem in epiſtolis ultra ſaeculum XI. vix progreſſus eſt. Etenim Azzus ille II. qui & Albertus, anno circiter DCCCCXCVI. natus anno MXCVII. deceſſerat. At majora molitus, cum tabularia, quod narravimus, Italiae ſcrutaretur, omnem lapidem ſibi movendum eſſe duxit, ut Ateſtini generis ori-

* Primam epiſtolam edidit Leibnitius poſt praefationem ad Volum. III. *Scriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium* anno MDCCXI. Hannoverae impreſſum.

ginem quantum poſſet ultimam deprehenderet, ac quidquid ad nobiliſſimam pertineret illam familiam illuſtraret. Praeſtat id maxime opere celeberrimo, quod *Prima pars Antiquitatum Eſtenſium* dicitur. Quam ardùa res ea fuerit atque difficilis, ii ſine dubio norunt, qui ſaeculis barbarie & inſcitia prorſus illitis neque geſtarum rerum memoriam fuiſſe litteris conſignatam; neque, ſi quando conſervata eſt, incenſis inter tot bella ſive direptis tabulariis, ſervari potuiſſe dicerunt. Hinc factum eſt, ut Genethliaci, qui principibus viris aſſentari volebant, ad arbitrium pleraque finxerint, creduliſque lectoribus venditaverint. Aliquando eam artem adhibuerunt, ut etiam ſapientiores in fraudem induxerint. Celebre eſt exemplum Franciſci Roſieres, qui Baronium, Florentinium, alioſque doctos homines aliquando decepit. Opus enim ediderat, cui titulus: *Stemmatum Lotharingiae ac Barri Ducum Tom. VII. ab Antenore, Trojanarum reliquiarum ad paludes Maeotidas Rege ad haec uſque tempora.* Attamen ei fraus magno ſtetit, cum fuerit, ea detecta, conjectus in carcerem, ac pa-

rum abfuerit, quin capite minueretur. Quod pertinet ad ipſam Domum Ateſtinam, quae nemini concedit nobilitate, paucas autem omnino pares habet, cum nulla etiam regia ſtirps pluſquam octo circiter ſaecula antiquitatis ita jactare poſſit, ut ea res omnino certa videatur, non defuerant, qui ad eam amplificandam aut multa comminiſcerentur, aut ſaltem omnino falſa monumenta ſequuti & ipſi deciperentur, & alios quoque deciperent. Fuerunt enim qui Domum eam & florentem & Heroum foecundam, & Ateſte dominantem circa Aerae vulgaris annum CCCCXXVIII. exhiberent. Ii quidem ſequuti ſunt opus, quod Muratorius ipſe fabuloſum eſſe demonſtrat. Inſcribitur autem *Hiſtoria belli Attilae Hunnorum Regis*, quae Latino ſermone ſcripta dicitur a Thoma Aquilejenſi a ſecretis Patriarchae Nicètae, & in Provincialem linguam a Nicolao de Caſola Bononienſi converſa, ac demum in Italicam translata, ac Ferrariae per Franciſcum de Rubeis anno MDLXVIII. typis impreſſa eſt. Non his profecto viis progredi Muratorius voluit; ſed omnia ſeverio-

ribus parens *Artis Criticae* praeceptis ad trutinam revocavit, nihilque attulit quod graviſſimis viris probari minime poſſet. Omnino certum eſſe ponit Albertum Azzum II. Marchionem Italiae, Lunigianae Comitem, Ateſtis ac Rhodigii dominum, quem circa annum DCCCCXCVI. natum anno MXCVII. deceſſiſſe diximus, progenitorem fuiſſe familiarum tum Brunſvicenſium in Germania, tum Mutinenſium in Italia Ducum. Hunc hominem nobilitatis quoque gloria fuiſſe conſpicuum ex divitiis, ex amicitiis, ex poſſeſſionibus, ex affinitatibus, quas cum principibus viris vel Germaniae vel Galliae contraxit, ex honoribus, quos tum ipſe tum liberi ejus conſecuti ſunt, conjicit. Praeterea validioribus quibuſdam aliis rationibus oſtendit, hunc eumdem Albertum eos habuiſſe majores, Adalbertum III. Marchionem Italiae, qui anno DCCCCXL. inter vivos degebat; Obertum I., qui & Obizus etiam appellatus eſt, Marchionem Italiae & Sacri Palatii Comitem, qui ab an. DCCCCLI. ad DCCCCLXXII.; Obertum II. Marchionem Italiae, qui ab anno DCCCCXCIV. ad MXIV.; ac demum Al-

bertum Azzum I., qui etiam Marchio fuit Italiae & Comes, & ab an. MXIV. ad MXXIX. ſumma cum gloria floruerat. At Adalbertum illum III. conjecturis omnino probabilibus efficit natum eſſe a Guido Marchione ac Duce Etruriae, qui circa annum DCCCCXXX. vita functus fuerat. Hujus autem Guidi genus ita texit, ut primo quidem occurrat Bonifacius I. Lucae Comes & Etruriae Dux anno DCCCXI. florens, deinde Bonifacius II. Etruriae Dux & Corſicae Praefectus; qui anno DCCCXXIX. claruit: hinc Adalbertus I. Marchio & Dux Etruriae, cujus res geſtae ab anno DCCCXLVII. ad DCCCLXXV. inveniantur, ac poſtmodum Adalbertus II., qui Dives appellatus eſt, Marchio item & Dux Etruriae, qui anno DCCCCXVII. diem ſupremum obierit. Ultra etiam progreditur Muratorius, ut originem ultimam hujus inclytae domus adinveniat. Confutatis enim opinionibus Pauli Marri ſcriptoris ſaeculi XIII. qui Eſtenſes a Trojanis derivabat, Leonis Marſicani, alio nomine Oſtienſis, nec non Aeneae Sylvii Piccolominei, poſtmodum Pii II. qui e Gallia in Italiam veniſſe

ſtatuerant, ac demum aliorum, qui aut a Principibus Italis, aut ab antiqua Romanorum Azzorum domo deducebant, e Germania eſſe, non ſecus atque alias inter Italicas omnino principes, optimis argumentis probat. Hoc eodem opere aut prorſus e tenebris eruit aut magis illuſtrat, optimae notae ſemper monumenta proferens, quae Ateſtini homines domi ac militiae celeberrimi ad annum uſque MCCXV. praeclara edidere facinora. Potuiſſet illud Muratorius an. MDCCXVI. in lucem edere; ſed ut de Raynaldi Ducis conſilio mos Leibnitio gereretur, qui provinciam eamdem ſibi ſuſceperat, & quid Muratorius perfeciſſet, antequam ederetur, videre concupierat, an. demum MDCCXVII. Mutinae publici juris fecit. Huic *primae parti Antiquitatum Eſtenſium* adjicere multa volebat a ſe diligentiſſime conquiſita, quibus barbararum aetatum recondita quaevis cognoſcere cupientibus fax quodammodo praeferretur. Ideo cum primum conſcripſit opus *Antiquitates Eſtenſes & Italicas* appellavit. At ſapientiore poſtmodum conſilio ea ſervavit, ut opus aliud Latinum, hoc eſt *Antiquitates*

medii Aevi conderet, de quo ſuo loco dictu-
ri ſumus. Hanc eamdem primam tanti ope-
ris partem de mandato ipſius Raynaldi Du-
cis dicavit Georgio I. Magnae Britanniae
Regi omnium beatiſſimo, non tam quod in
ſuis tria florentiſſima regna, vaſtiſſimaſque
provincias, quam quod Newtonum atque Lei-
bnitium numeraret. Ille quidem quanti fa-
ceret tale munus & humaniſſimis verbis te-
ſtari voluit; & quatuor majoris formae nu-
miſmatibus aureis, quae pluſquam centuſſi-
bus quadringentis aeſtimata ſunt, ad Mu-
ratorium dono miſſis. Sed & litteratiſſimi
quique viri hoc opus unum ex praecipuis
Muratorianis, & ex iis, quae noſtrae Italiae
decori ſint atque ornamento habuerant.
Cennius ipſe ac Romani Cennio non abſi-
miles illud magnopere ſuſpiciebant. Langle-
tius autem in libro Gallico, quem *de ratio-
ne hiſtoriae ſtudendi* conſcripſit, non dubita-
vit ut optimum ac fere unicum exemplar
illud proponere iis, qui familiarum hiſtorias
eſſent conſcripturi, pluribus aliis in ejus
laudem non profecto magnificentius dictis

co

eo loco quam verius. *Altera pars Antiquitatum Eſtenſium* non ante ann. MDCCXXXIII. paullo majore quam quinque menſium ſpatio elaborata, neque ante ann. MDCCXL. typis Mutinenſibus excuſa fuit. Non minus quam ſexaginta documenta ſeu monumenta profert, quae Auctor omnino genuina putat, de maximi momenti rebus. Ea quidem & in hoc opere illuſtrat, & in duobus etiam aliis *Rerum Italicarum & Antiquitatum medii aevi*, de quibus alio loco. Sed cum partem primam Antiquitatum Eſtenſium non ultra mortem produxiſſet Aldovrandini I. Marchionis Ateſtini, quae anno ſcilicet MCCXV. contigerat, alteram hanc exorditur ab Azzo VII. qui non modo Ateſtis, ſed & Anconae Marchio fuit ac Rhodigii Dominus. Hic quidem Aldovrandini frater erat, eique in Ateſtino Marchionatu ſucceſſit. Hinc de aliis Marchionibus ac Dominis, ac deinde agit de Ducibus Ateſtinis ad eundem Azzum originem referentibus, eorumque res geſtas narrando proſequitur. Poſtremo demum capite de Franciſco III. tum regnante loquitur, qui duodecimus inter Duces fuit. De

ſinit autem haec hiſtoria univerſa in anno, MDCCXXXIX. Haec autem altera pars Antiquitatum Eſtenſium priore ſatis digna exiſtimata eſt a pleriſque ſapientibus aequiſque judicibus; ex quibus Joannem Lamium in ejus laudes effuſum commemorare ſufficiat. Romanis tamen bene multis & aliis, qui pro aula Romana ſtabant, valde diſplicuit, quod jura deſcribat atque defendat Ateſtinae Domus in Ferrariam, ea ponens & amplificans, quae in libello ſcripſerat anni MDCCXIV. quem libellum in manus hominum minime perveniſſe diximus. Etenim probare contendit, celebrem illam mulierem Lauram Euſtochiam cum Alphonſo I. Ferrarienſium Duce legitimo matrimonio fuiſſe conjunctam, atque hinc Alphonſum Caeſaris patrem filium legitimum habendum fuiſſe. Nititur autem ea ſolvere, quae Romani objicere conſueverant. Ex iis autem univerſis ille vult efficere, ut injuria fuerit an. MDXCVIII. per Clementem VIII. ditio Ferrarienſis occupata, & Dux Caeſar expulſus. At quoniam univerſo huic operi Antiquitatum Eſtenſium Fontaninii calumnias in praeclariſſimam Do-

mum; ex qua ſunt Mutinenſium Duces, cum de cauſſa Comaclenſi ſcriberet, occaſionem dediſſe diximus, aliqua jam alia ſcripta ad eamdem cauſſam pertinentia, quae multos extitere poſt annos, a nobis memoranda ſunt. Etenim anno MDCCXX. quo tempore omnis lapis a Romanis Viennae movebatur, ut Comaclum Apoſtolicae Sedi reſtitueretur, Fontaninius novum libellum typis procudendum curavit, quo ſe ſe omnibus ac ſingulis contra Summi Pontificis in Comaclum jura poſt annum MDCCXI. prolatis reſpondere profitebatur *. Ille quidem praecipue contra Muratorii librum *Quaeſtionum Comaclenſium* pugnabat; librum autem ipſius Muratorii poſtremum *Plenae*, de qua diximus, *Expoſitionis*, in qua demum omnia noſter ad cauſſam facientia collegerat, & omnes adverſariorum rationes ſuſceperat ſibi ſolvendas, non aggredi videbatur. Hunc librum Fontaninii typis impreſſum, at non illico vulgatum Muratorius opera Dominici

* *Riſpoſta a varie Scritture contra la S. Sede in propoſito di Comacchio pubblicate dopo l' anno 1711.*

Mariae Jacobatii Mutinenſium Ducis Romae Legati admodum mature habere potuit. Itaque, jubente Raynaldo Duce, ſtatim alium librum conſcripſit, quo Fontaninio ſe ſe opponeret, eodemque anno MDCCXX. non ſine ſumma hominum admiratione, quo ferme tempore opus Fontaninii prodiit, & ipſe ſuum publici juris fecit *. Quinam fuerit tantae litis exitus, cum Summo Pontifici Benedicto XIII. Comaclum repoſcenti Caroli VI. Caeſaris Auguſti pietas obſiſtere noluiſſet, ex hiſtoria ejus temporis magis compertum eſt, quam ut id a nobis hoc loco narrandum eſſe videatur. Neque vero noſtrum eſt dijudicare utrum veriora Fontaninius an Muratorius attulerit. Quaedam tamen hoc loco hiſtoricorum more adjiciemus, ut Muratorii famae, quamvis neceſſe non ſit, magis magiſque conſulamus. Primo enim omnino falſum eſt, quod Cajetanus Cennius aliique jactarunt, Carolum VI. Auguſtum in

* *Diſamina di una Scrittura intitolata: Riſpoſta a varie Scritture, e pubblicata in Roma* nell' an. 1720. in propoſito *della controverſia di Comacchio ec.*

cauſſa Comaclenſi tandem edidiſſe ſententiam, qua Muratorium & Ateſtinos cauſſa prorſus cecidiſſe conſtiterit. Cum enim pius Imperator ob ſuum erga Sedem Apoſtolicam ſaepius cognitum amorem ac reverentiam induxiſſet animum Summo Pontifici obſecundare, inter Cardinalem Fabritium Paoluccium pro eadem Apoſtolica Sede, & Cardinalem Alvarum Cinſuegos pro ipſo Caeſare VII. Kalend. Decembris anno MDCCXXIV. ita ſtatutum eſt: *Poſſeſſionem Comacli a Sacra Caeſarea Majeſtate eo duntaxat pacto dimitti, ut in eamdem Sedes Apoſtolica reſtituatur ut prius, ita ſcilicet, ut neque eidem Sedi Apoſtolicae per hanc reſtitutionem aliquid novi juris tributum, neque Imperio vel Domui Ateſtinae quidquam juris ſublatum eſſe cenſeatur; ſed Sacrae Caeſareae Majeſtatis, & Imperii, Domuſque Ateſtinae jura omnia tam reſpectu poſſeſſorii quam petitorii ſalva remaneant, neminique ex hoc actu praejudicium ullum irrogatum intelligatur, uſque dum cognitum fuerit ad quem Comaclum pertineat*. Illud etiam magis eſt advertendum & Juſtum & Dominicum Fontaninios, & Juſti diſcipulum aut clientem Cen-

nium & alios quosdam nimis in Muratorium injuſtos extitiſſe, cum eumdem *contra Sedis Apoſtolicae jura ſcripſiſſe*, aut *ſequutum eſſe Proteſtantes Romani Pontificis adverſarios*, aut *non ita ſe, ut Catholicum decebat hominem praecipue Sacerdotem geſſiſſe* poſuerunt. Pauci; enim acrius, quam Muratorius, iis quidem temporibus, vera Sedis Apoſtolicae jura, quod attinet ad Eccleſiae gubernationem, tutati ſunt, ut vel ex uno libro *de ingeniorum moderatione* ſatis apparet. Jura quidem illa, quae *temporalia* dicimus, nunquam evertere cogitavit, quamvis aliqua ex aliis capitibus, quam plures Romani, repeteret. E libris etiam ejus editiſque monumentis non pauca eruuntur, queis illa magis magiſque conſtabiliantur. Quod ſpectat ad Comaclum atque Ferrariam, ſi potiora eſſe Dominii jura & putavit & ſcripſit, quid tandem ille peccavit? An in iis, quae pertinent ad hiſtoriae cognitionem, ipſi Proteſtantes vera nequeunt afferre? An iis in controverſiis de rebus dumtaxat civilibus Clemens VIII. aut Clemens XI. falli non poterant? An quidquid aula Romana ſuum, aut ſui Principes

eſſe putet, ne hiſcere quidem Catholicus audeat, qui non ſatis ejuſdem rationes videat, qui ſe ſe ſpoliari ſentiat, qui contra ſuum jus eamdem vel opinari vel agere poſſit oſtendere? Somnia delirantium iſta, non Theologorum ſententiae. Equidem illos etiam non ſatis in Muratorium aequos fuiſſe dixerim, qui affirmant extitiſſe, cum Benedictus XIV. vellet ipſum Cardinalem creare (id ſibi narratum tradidit Lamius, ſed nos rem incertam in medio relinquimus) qui Pontificis animum, non ſecus ac ſi de homine ageretur Sedis Apoſtolicae inimico aut certe adverſario, ab eo conſilio deterruerint. Sane Muratorius neque odio Romanae Curiae, neque contemptu eam cauſſam agendam ſuſcepit, ſed ut Domino ſuo pareret, cui multis juſtiſſimiſque de cauſſis parere debuerat. Ejus etiam rei argumento eſt, quod cum a maximae dignitatis viro fuiſſet ille rogatus, ut contra Praeſulem Antonellium Parmam atque Placentiam ad Sedem Apoſtolicam pertinere edito libro contendentem ſcriberet, non levia laborum ſuorum praemia relaturus, conſtanter abnuit. Etenim con-

tra Romanam aulam pro Domino ſuo decertare nemini inhoneſtum videri poſſe reſpondit; at nullo modo decere, ut aliorum principum virorum controverſiis ſe ſe immiſceret: quae quidem reſponſio ſapientibus etiam Romanis valde probata eſt. Denique ad Muratorii laudem vel maxime facit, quod in omnibus libris de cauſſa Comaclenſi aut affinibus aliis controverſiis contra Romanam aulam ſcribens animi moderationem conſtantiſſime tenuit. Hinc etiam factum eſt, ut non modo ii, quorum nihil intererat eam litem diſceptare, ſed etiam ſapientiſſimi quique Romani, cum cauſſam non poſſent, eximiam ſingularemque modeſtiam Muratorii, praeſertim in tanta doctrinae gloria, ſummopere collaudaverint. Ab hujus certe poſtremae laudis genere plurimum Fontaninius abfuit. Hic enim adverſarium ſuum injuriis omnibus, quin & contumeliis, ingenuo quovis homine litterisque polito, ne dum Archiepiſcopo indignis, ſibi proſcindendum duxit. Quod profecto non leviter mirari debeas, quod ante controverſiam eam Fontaninium inter ac Muratorium ſumma amicitia, ac

prope familiaritas per annos fere decem interceſſerat. Id ex epiſtolis pluribus inter illos ultro citroque datis facile cognoveris. Cum Fontaninius Muratorium in Comacleníi cauſſa adverſari ſibi reſcivit, tanta excanduit ira, ut teterrimus ejus omni vitae tempore inimicus extiterit. Ut auctoritatem ejus ejuſque librorum elideret, multa molitus eſt; quin & eo progreſſus, ut ſanctiſſimos ipſius libellos, quamvis irrito conatu, Romae interdicendos curaverit, & *haereticum hominem* haberi appellarique voluerit. Ceterum Pontificii etiam, quibus erat ſapiens intelligenſque judicium, eam agendi ſcribendique rationem ſummopere ſibi diſplicere prae ſe tulerunt. Fuit inter eos celeberrimus etiam Marchio Franciſcus Maria Ottierius, qui licet Fontaninio eſſet familiaritate conjunctus, aſperam ejus & injurioſam in Muratorium orationem diſerte improbavit *. Hic etiam eo loco narrat, cum Fontaninius libellum edidiſſet in Muratorium Bionaeo illo ſale re-

* *Storia delle Guerre avvenute in Europa &c. Tomo V.*

fertum, quem nullius judicio corrigendum commiſerat, inde factum eſſe, ut in Pontificatu Innocentii XIII. quamvis Fontaninio faventis a Pontificiis aedibus removeretur & arceretur; in quibus antea a Clemente XI. cubicula obtinuerat. A ſexcentis aliis hujuſmodi rebus hoc loco memorandis abſtineo, quod potius ad Fontaninii dedecus, quam ad ipſam Muratorii vitam proprie pertineant. Non me quidem latet, Dominicum Fontaninium id pluribus ſcriptis molitum eſſe, ut patruum omni invidia liberaret, ac Muratorium ipſum in Fontaninium injurias & contumelias conjeciſſe oſtenderet. Ea de re inter ipſum ac Solium acriter dimicatum eſt *. At aequus lector, cui ſit tota lis adjudicanda, nullo negotio ſtatuet. Muratorius in libris de cauſſa Comaclenſi animi moderationem ita ſervavit, ut verbum, quod iracundiae aut arrogantiae reprehendas, nullo modo invenias. In *Examine primo Eloquentiae Italicae* Fontaninii, quo libro hic & Mura-

* Vid. Solium *vit. Murat.* edit. Aretin. in App. II. N. I. & III.

torium & alios doctiſſimos viros innumerabilibus affecerat contumeliis, aliquod ille verbum excidere ſibi paſſus eſt, quod minus Muratorio dignum non injuria dixeris. Etenim vir, etſi natura leniſſimus, de Vatiniano illo in ſe Fontaninii odio ad mortem uſque ſervato acerbius conqueritur. Ei quidem odio tribuit, quod is Caſtelvetrum aliis locis laudatum ad extremum tam male habuerit, poſtquam ipſius vitam ab adverſario ſuo conſcriptam legerat. Alia quaedam habet ad libri *de Italica Eloquentia* elevandam auctoritatem, ex quibus etiam Muratorium fuiſſe hominem, & humani nihil a ſe alienum habuiſſe, haud gravate fatearis. Quid tamen haec ad injurias in Muratorium atque convicia, quibus Fontaninius referſit libros? Ea quidem, ingenue dicam quod ſentio, etiam referre pudeat. Sed antequam hoc loco Fontaninium dimittamus, aliam ipſius cum Muratorio controverſiam de re ad Artem Criticam pertinente explicabimus; cujus quidem principia paullo altius repetenda ſunt. Anno MDCXCV. reliquiae detectae ſunt corporis ſancti hominis ſub ara maxi-

ma Templi, quod *S. Petri in Coelo Aureo* dicitur, in urbe Ticini. Cum fuiſſet memoriae proditum, in illo eodem Templo S. Auguſtini corpus olim fuiſſe tumulatum, at deinceps abſconditum, reliquias ipſas eſſe tanti Doctoris permulti crediderunt, permulti tamen negitarunt. Scriptis autem, ut fit, ex utraque parte editis illico pugnatum eſt. Ea lis inſtaurata eſt anno MDCCXXVIII. non ſine magno animorum ardore. Epiſcopus quidem Ticinenſis, ut mala, quae ſolent ex hujuſmodi controverſiis inter Chriſtianos exiſtere, prorſus averteret, quindecim tantummodo dierum intervallum utrique parti, quo ſuas aperiret deduceretque rationes, definivit. Romae tamen eodem anno MDCCXXVIII. Fontaninius *Diſſertationem* edidit, ut revera corpus illud eſſe S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi comprobaret. Muratorius autem rogatus eſt ab amicis Canonicis Regularibus Lateranenſibus, ab eo praecipue, qui ceteris ſumma cum poteſtate praeerat, ut de controverſia, quae multum ipſis afferebat ſollicitudinis (erant enim ex negantium numero) mentem ſuam aperiret. Cum is Fonta-

ninii perlegiſſet librum, neque ſatis firma veteris adverſarii argumenta ſibi viderentur, in contrariam ſententiam opusculum eodem anno elucubravit *. Hoc tamen opuſculum in eorum manus, quorum intererat, etſi magna celeritate conſcriptum, intra quindecim illos dies ab Epiſcopo praefinitos pervenire minime potuit: qua de re typis eo anno mandatum haud fuit: ſed & an. MDCCXXIX. neſcio qua de cauſſa omiſſum eſt, cum omnia iterum ſubirent praelum opuſcula & cujusvis generis ſcripta ad eam controverſiam ſpectantia. Itaque lucem non vidit niſi anno MDCCXXX. Lucae, quamvis Tridenti nomen Typographus editioni appoſuerit. Cum id Fontaninius reſcivit, dici vix poteſt, quanta ira ſit in Ludovicum Antonium accenſus. Eodem anno typis edidit libri titulum, quem quidem librum conſcribere ſe ſe velle aut prae ſe ferebat aut revera cogita-

* *Motivi di credere tuttavia aſceſo, e non iſcoperto in Pavia nell' anno 1695. il Sacro Corpo di S. Agoſtino Dottore della Chieſa ec.*

bat *. Sane ſi liber titulo reſpondiſſet, quid acerbius aut quid in Muratorium contumelioſius potuiſſet afferri? Abſtinuit tamen ab opere conficiendo Fontaninius. Ab amicis fuiſſe rogatum ut irae temperaret, facile credo. Vir tamen magnae auctoritatis Muratorio ſcripſit, multo plus quam amicorum officia, acrem valuiſſe reprehenſionem ac minas Cardinalis Banchierii, qui tum apud Clementem XII. rerum ſummae praeerat. Hic etiam multa congerit Dominicus Fontaninius **, ut Muratorio creet invidiam, quaſi de tanta controverſia idem ſcripſerit, poſtquam Ticinenſis Epiſcopus, tranſactis iis

* Titulus erat hic: *Inventario delle impoſture contenute nel libello de' Motivi contro l'Identità del corpo di S. Agoſtino, fatto dal Dottor Muratori da Modena a ſpeſa del P. Calvi Procuratore Generale de' Canonici Lateranenſi alla Pace, e in queſto anno MDCCXXX. da lui pubblicato con falſa data di Trento, e poi nel meſe di Novembre diſtribuito in pieghi per la poſta del Papa in Roma, in diſprezzo del Giudizio e Decreto ſolenne di Monſignor Veſcovo di Pavia ad mentem del Concilio di Trento ec.*

** In Praefat. ad lib. cui tit. *Diſcorſi Accademici di Monſig. Fontanini.*

quindecim diebus, ſententiam pronunciaverat, quae quidem Romae confirmata fuerat, de S. Auguſtini corpore Ticini revera invento. At ex narratione noſtra ſtatim apparet, quid ſit illi reſpondendum. Scripſit enim initio controverſiae Muratorius. Edendum tamen opuſculum anno MDCCXXX. ii curarunt, quorum id intererat. Praeterea uter hac etiam in cauſſa moderatius egerit, Ludovicus ne an Juſtus, ex ipſis librorum indicibus quivis deprehendat *. Verum haec ubi de Muratorio agitur, leviora: ad majora veniamus. Jam enim ad ſe nos vocat ingens illud opus, quo *de hiſtoria medii aevi* maxime omnium bene meritus eſt Muratorius; quod ſcilicet *Rerum Italicarum Scriptores* inſcribitur. Ille quidem jamdiu ſignificaverat, ſibi in votis eſſe, ut aliquis exiſteret, qui multos ineditos libros veterum ſcriptorum, per tabularia ſeu bibliothecas antiquiores tineis aut ſcombris laxas tunicas dantes

* Si plura deſideras iis de rebus, epiſtolam lege apud Solium in vit. Muratorii Append. II. Num. III.

e ſitu eriperet atque illuſtraret *. Confiſus aliquando fuerat id Apoſtolum Zenum eſſe facturum. At ejus ad Caeſaris aulam advocatio totam eam ſpem interceperat. Tandem anno MDCCXVII. ipſe operi manum admovit. Sciebat ille quidem jam ab anno MDC. fuiſſe doctum virum, qui Francofurti multos hujuſmodi ſcriptores ederet unico majoris formae volumine, quod *Italiae illuſtratae Scriptores varii* inſcriptum eſt. Sciebat etiam ſuis temporibus celeberrimum hominem Georgium Grevium edidiſſe tria volumina operis, cui titulum fecerat, *Theſaurus Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiae*, quod quidem opus Grevii morte interruptum non multo poſt Petrus Burmannus vir & ipſe clariſſimus producendum ſuſceperat. Haec tamen opera Muratorii deſiderio minime faciebant ſatis. Etenim Auctores, qui ſunt in iis *Collectionibus* maximam partem ſaeculo XVI. aut XVII. floruerant. Ipſi autem erat in animo ſcriptores colligere, qui ab anno D. ad MD. extite-

* *Rifleſſioni ſopra il buon guſto ec.*

extiterant; neque vero univerſos, ſed eos dumtaxat, qui de rebus ſcripſerant, ea, qua vivebant, aetate, aut certe proximioribus temporibus, in Italia geſtis; iis omiſſis, qui ſuas hiſtorias e remotiſſimis aetatibus, aut etiam ex orbe condito duxerant, aut ſaltem ex eorum hiſtoriis, partibus iis amputatis, quae non ad ea tempora referrentur. Solummodo Sicardi, Gualvanei Fiammae, & Ducis Andreae Dandoli hiſtorias integras exhibere conſtituit, tum quia tanti auctores ea videbantur honore digni, tum quia de rebus atque ſcriptoribus nos edocent, quorum notitiam alibi fruſtra requiras. Primum volumen hujus ingentis operis prodiit anno MDCCXXIII. at XXVII. non ante annum MDCCXXXVIII. ea praecipue de cauſſa quod Italicum bellum anni MDCCXXXIV. impedimento fuit, ne poſſent ad eam editionem peragendam typographi, queis commiſſa erat, incumbere. His voluminibus univerſis poſt Muratorii mortem quorumdam opuſculorum ad eam *Collectionem* facientium, nec non *indicum*, quos vocamus, anno MDCCLI. alio

volumine adjectio facta eſt. Jam vero incredibile dictu eſt, quot labores exanthlare Ludovicus Antonius, ut, quod ſibi propoſuerat, exequeretur, quot per Italiam inviſere tabularia, quot maximis occupationibus diſtineri debuerit. Praeter vulgatos jam libros, quorum plurimos etiam emendavit, bene multos e bibliothecis, praeſertim Ambroſiana & Eſtenſi, in pulvere deliteſcentes ipſe protulit. Ejus nominis celebritas & gloria id etiam obtinuit, quod ceteris fere omnibus litteratiſſimis viris fortaſſe non contigiſſet, ut viri principes ipſi concederent, archiva ſcrutari, in quibus codices maximi pretii ſervari ſuſpicabatur. E bibliothecis etiam Caroli VI. Auguſti & Chriſtianiſſimi Regis recondita quaedam accepit, ex quibus ea *Collectio* non mediocriter crevit. Victorii etiam Amedei Sardorum Regis hanc ipſam ad rem liberalitatem expertus eſt. Infimis ab eo precibus poſtulaverat noſter, ut exemplaria deſcribi ſineret quarumdam hiſtoriarum, quae videlicet in Pedemontii Monaſteriis Novaleſae ac Fructuariae nuncupatis ipſe aſſervari cognoverat. Ei reſpondere di-

gnatus eſt Rex ille magnanimus litteris officii humanitatiſque pleniſſimis *: tum earum hiſtoriarum exempla ipſa Mutinam ad eum deferri mandavit, quo Muratorius ipſe & eadem ſuis oculis perluſtrare poſſet, & qua potiſſimum vellet ratione deſcribi curaret. Negari non poteſt, alios etiam doctos homines ad eamdem praeclariſſimam *Collectionem* operam ſuam contuliſſe. Praecipue Mediolanenſes Palatini Socii, hoc eſt nobiles viri, qui tantam editionem curandam exornandamque cum Muratorio ſuſceperant, libros bene multos eorum ſcriptorum ad veterum codicum fidem exactos, ſummoque labore ac diligentia caſtigatos variis lectionibus atque adnotationibus tam editis vetuſtiorum hominum eruditorum, quam noviſſimis auxere. Ex eorum Sociorum numero Philippus Argelatius, propter *Scriptorum Mediolanenſium bibliothecam* & alia quaedam opera doctos inter homines celebratus, maximam in hac editione ſub oculis ipſius Mediolani peracta, Mu-

Q 2

* Muratorii litteras ad Victorium ac Victorii ad Muratorium affert Solius in Append. I, *vit. Murat.*

ratorio praeſtitit induſtriam, diligentiam ac fidem. Laudat etiam in *prooemio* priori volumini atque adeo univerſo operi praefixo Muratorius doctos alios viros in antiquorum codicum lectione ſatis exercitatos, qui hanc eamdem editionem promoturi eſſent, Joſephum Antonium Saſſium Ambroſianae bibliothecae Praefectum ejuſque fratrem Franciſcum Hieronymum, nec non Horatium Blancum Romanum Mediolani commorantem. Hujus autem, praeter alia, partes futuras eſſe dicit, ut hiſtoricos quoſdam Italicos antiquiores quaſi alia quadam lingua loquutos, ut nemo fere eos audeat attingere, Latinum in ſermonem convertat. Sed partes in hoc opere longe potiſſimae Muratorii fuere. *Praefationes* ipſe condidit, ac maximam *Animadverſionum* partem. Multis in locis de ſcriptoribus ipſis fuſiſſime diſſerit, & qui ſuppoſiti cuique foetus, qui genuini debeant agnoſci, diſputat ipſe atque dijudicat. Neque vero labori ulli in codicibus quoad fieri potuit per ſe viſendis, ordinandis emendandiſque pepercit. Carolus VI. Caeſar hoc opus maxime ſibi probari non obſcure

declaravit, & ut in ſuis aedibus Mediolanenſibus imprimeretur conceſſit, Sociis Palatinis expenſas in eam rem, praeter operam, ut ſignificavimus, liberaliter ſuppeditantibus. Quantopere vero probatum fuerit a doctis hominibus univerſis etiam extra Italiam dici vix poteſt. Omnium inſtar Montfoconii teſtimonium nobis erit, qui litteris ad Muratorium datis non modo de judicio ſuo graviſſimo videlicet atque maximo, ſed & univerſae Galliae Muratorii nomen ob eam rem ſummopere celebrantis, eumdem certiorem reddidit. Non tamen defuere, qui aliquid in ea *Collectione* deſiderarent. Scipio Maffejus voluiſſet, ut ab anno potius CCCC. quam a D. ipſa initium ſumeret *, praemiſſis iis, quae Philoſtorgius, Zoſimus, & Oroſius de rebus Italiae ſcripſerant. At Muratorius ſibi propoſuerat ab iis incipere temporibus, queis barbaries in Italiam invecta multo profundiores radices egerat. Ea qualiſcumque Maffeii cenſura alteri ſcriptori ma-

* In lib. cui tit. *Oſſervazioni Letterarie ec.* T. I. Art. III.

gni nominis, qui facile Muratorium carpit, anſam dedit affirmandi, non eſſe *Collectionem* illam omnino perfectam, aliaque ſimilia faſtidii delicatiſſimi *. Verumenimvero id feciſſe Muratorium quod fieri potuit, cum nonnullorum hominum ſuſpiciones ac timores a quorumdam archivorum vetera magni pretii monumenta ſervantium aditu ceteros prohibeant, neque majorem aut ex illo aut ex alio quovis homine diligentiam, quam ea, quae praeſtita ſit, potuiſſe requiri, qui prooemia ipſa legerit, in quibus, quid actum ſit ad ſubjectum librum illuſtrandum, fuſe declaratur, facillime concefferit. Praeterea in ipſa ad I. *volumen* doctiſſima *Praefatione* Muratorius cauſſam late perſequitur, quamobrem ea *Collectio* non poſſet ex omni parte abſolutiſſima evadere. Quiſquis ea legerit, ſtatim videbit vitia ſcriptorum non poſſe in editorem refundi, neque meliora allata eſſe, quod ex aetatibus tanta barbarie involutis afferri meliora minime po-

* Vid. *Tom. XLI. Collection. Caloger. opuſc.* cui tit. *Lettera ſopra gli ſtudj ec.*

tuerint. Fuit etiam qui, edita *epiſtola*, carperet editionem trium Villanorum ad codicem Muratorio commodatum a Joanne Baptiſta Recanatio Veneto patriciae gentis exactam. Diſplicuit ea *epiſtola* Florentinis bene multis, qui facile conceſſerunt plurimum tribus illis hiſtoricis fuiſſe ſplendoris a Muratorio allatum. Noluit tamen Muratorius ei *epiſtolae* reſpondere, quamvis a Sociis Palatinis rogaretur. Plura tamen Argelatio ſuppeditavit, qui provinciam ab amico recuſatam ultro ſuſceperat. Scripſit etiam contra Muratorium Ferdinandus Caccia Bergomenſis opuſculum ſane ridiculum *; quod ille demonſtraverat ** falſo fuiſſe traditum a quibuſdam, Magiſtrum Moyſem Bergomenſem, auctorem poematis *de Laudibus Bergomi*, ad tempora Imperatoris Juſtiniani II. pertinere. Ne hunc quidem hominem a ſe confutandum Muratorius cenſuit. At moleſtiſſimus omnium Muratorio fuit Gabriel Roſſius Carmelita, magna quadam inter ſuos dignitate, non tamen aut pruden-

* *Vide Novelle Letterarie di Firenze an. 1749. col.* 342.

** *Vol. V. Script. Rer. Ital.*

tia aut doctrina conſpicuus, quod is *Ricordani Malaſpinae hiſtoriam Florentinam* edens * recitaverat verba quaedam in aliis neſcio quibus editionibus omiſſa. Affirmabat enim gravis hiſtoricus, D. Thomam Aquinatem in Monaſterio Foſſanovae occubuiſſe, cum ad Lugdunenſe Concilium, ut *Fratrum Carmelitarum Ordinem deſtrui curaret*, iter arripuiſſet. At Carmelitam ea verba magis exaſperaverant, quae ſubjecerat Muratorius: *fortaſſe viro prudentiſſimo & ſanctiſſimo Carmelitica Familia oneri potius quam utilitati Chriſtianorum reipublicae futura videbatur*. Itaque longiſſimam Roſſius ad Muratorium dedit *epiſtolam* XVIII. kal. Maii anno MDCCXXXIX. ut ſuam ipſi obtruderet opinionem, *Ordinem Carmelitarum ante Concilium illud a Sancta Sede fuiſſe probatum*, eumdemque ad ea verba revocanda qua monitis, qua argumentis, qua etiam minis impelleret. Reſpondit ei Muratorius eodem anno IV. kalend. Maii epiſtola, qua nihil humanius aut modeſtius, nihil etiam

* *Tom. VIII. Rer. Italicar.*

ſapientius aut doctius excogites *; neque tamen a ſententia diſcedere ſe ſe poſſe ſignificavit. Minime quieſcendum ſibi ratus importunus Carmelita, alia epiſtola conviciis potius quam rationibus referta iterum eumdem interpellavit. At Muratorius, cui nulla, niſi temporis avaritia videbatur honeſta, non amplius ei reſpondendum eſſe judicavit. Poſtremo loco animadverſio alterius generis in hoc opus commemoranda eſt, quam ſcilicet Muratorius, qui ſemper in bibliothecis habitaverat, multo magis quam contra ſe dicentium reprehenſiones, reformidare potuiſſet. Cum enim in *Prooemio ad hiſtoriam Petri Cirnei de rebus Corſicis* ** vocaſſet ille Corſos *ferocium atque agreſtium hominum genus*; quae verba quidem ad ſaeculum praeſertim, de quo ſermo erat inſtitutus, referri facile poterant, Corſus non defuit, qui ſtatim tacito nomine plenas furoris ad eum litteras daret, mortem etiam ei comminatus;

* Epiſtola Roſſii recitatur a Solio *in Append. ad vitam Muratorii*, quemadmodum & illa Muratorii ad Roſſium.

** *Volum. XXIV. Rerum Italicar.*

niſi, quod ſcripſerat in Corſorum dedecus, retractando corrigeret. Nihil tamen veritus eſt Muratorius, quam inhabitaret ipſe regionem, & quantum inter minitantium temeritatem & facinoroſorum hominum audaciam interſit, probe agnoſcens. Itaque litteras eas illico flammis tradidit; neque vero ille nebulo, quiſquis tandem fuerit, ultra contumelias illas ac minas progreſſus eſt. Quanquam ea *Collectione* Muratorius, ut diximus, de re litteraria fuit optime meritus, quid is in antiquarum rerum ſcientia & arte illa critica valeret, multo magis oſtendunt *Antiquitates Italicae medii aevi*; opus videlicet, non minus quam *prima pars Antiquitatum Eſtenſium*, litteris omnium gentium linguiſque celebratum. Jam ab anno MDCCXIV. cum Italiae bibliothecas & archiva inviſeret, animo ſpecimen tanti operis efformaverat. At enim quando pene infinitam vim ac materiam ad idem facientem intra manus quodammodo creſcere ſentiebat, illud differre longius, quam voluiſſet, plane coactus eſt. Anno MDCCXX. cum graviſſime aegrotaſſet animum pene deſponderat; neque ſe ſe am-

plius ipſi perficiendo parem futurum exiſtimabat. Sed, priſtinis recuperatis viribus, ſupremam eidem potuit manum imponere; quin & ea, quae fere omnia Italico ſermone ſcripſerat, ut exteris etiam hominibus ſatisfaceret, in Latinum convertere. Non tamen hoc opus ante annum MDCCXXVIII. typis imprimi coepit; neque ante annum MDCCXLII. abſoluta impreſſio eſt expenſis & curis ejus, de qua dudum loquuti ſumus, Mediolanenſis Palatinae Societatis. Comprehenditur autem opus univerſum omnino ſex maximae formae voluminibus *Diſſertationes quinque ac ſeptuaginta* complexis. *Diſſertationibus* iis, praeter monumenta plurima, quidquid ipſe affirmat comprobantia, plurima etiam opuſcula nondum edita adnectuntur, quae ſcilicet, cum *Rerum Italicarum Scriptores* illuſtraret, nondum in ejus manus pervenire potuerant; pene etiam infinita nummorum medii aevi copia ſubjecta. Ita ſex haec volumina illorum ſeptem ac viginti *Rerum Italicarum* appendicem ipſe haberi voluit. Sed jam aliquid enucleatius a nobis afferendum eſt, quo noſtri ſequamur inſtituti

rationem, ut ſpecimen tanti operis exhibeamus. Ipſe quidem animadverterat Romanarum & Graecarum quoque rerum a plurimis eruditionem fuiſſe cultam, qui vix novi argumenti quidquam reliquerint poſteris, niſi nova forte antiquitatis monumenta effodiantur; at non idem de *Antiquitatibus medii aevi* eſſe dicendum. Sigonius quidem, ſi non primus inter eos, qui de rebus Italiae medii aevi commentati aliquid fuerint, certe omnibus iiſdem ſcriptoribus praeferendus, elucubratis de *Occidentali Imperio*, ac *de Regno Italiae* libris, latiſſimam viam ceteris aperuerat, ut in eam eruditionis partem invaderent. Ejus enim veſtigia quidam magni viri ſequuti, enixius tamen & crebrius exteri quam Itali, omnem operam ſuam ad illuſtranda barbarica ſaecula contulerant, neque vero levem ea re gloriam ſibi pepererant. Verumtamen in eà vaſtiſſima, ſi fas eſt ita loqui, ſtudiorum regione illi tam parum ad eà tempora progreſſi fuerant, ut adhuc latiſſima ſpatia primo occupanti patere viderentur. Animadverterat etiam Muratorius ſtudium *Antiquitatum medii aevi* non

tantum amplificandae eruditionis gratia, ſed etiam ſpe referendae voluptatis, ac novae cujuſdam gloriae ſibi comparandae a viris doctrinae deditis eſſe colendum, cum tot ritus, nec modo ſacri, ſed & civiles atque domeſtici, qui ſunt nobis in uſu, non a Graecis aut Romanis illis aetatibus, ſed a barbaricis repetendi ſint, nec fieri poſſe, ut quid egerint majores noſtri, qui multo propius ad nos quam antiquiores illi Romani Graecive pertinent, ſine magna & ingenuo quovis homine digna delectatione teneamus. His praecipue de cauſſis hoc tantum opus ille conſcribendum ſumpſit. Iis autem fere omiſſis, quae Sigonius ac ceteri attulerant, in regione, ut ita dicam, aliis incognita verſatus eſt, ut in denſiſſimis tenebris, nemine facem praeferente, ipſe vias & itinera quodammodo ſtruere ſibi & explanare debuerit, quo poſſet in abdita veritatis penetralia tandem aliquando pedem inferre. Quantopere nimirum ille laboraverit in codicibus, quibus uteretur, ſeligendis, quin & legendis ac deſcribendis, cum innumerabiles evolviſſet per Italiae bibliothecas ac ta-

bularia membranas Imperatorum aut Regum, ſive Summorum Pontificum & Epiſcoporum & leges & placita, & Monaſteriorum erectiones, iis aut aliis conceſſa beneficia, potentium hominum teſtamenta, donationes, aut publicarum aut privatarum rerum narrationes, aut alia hujuſmodi ſexcenta complexas, facile ſapiens lector intelligit. Ex immenſa tot chartarum farragine inutilia repudians, & optima quaeque ſeligens eo pervenit, ut qualis Italiae facies per plura ſaecula fuerit, poſt Barbaros in eam illapſos, nobis oſtenderet, ſimulque ſpecimen conditionis ac ſtatus temporum eorumdem nobis exhiberet. Nam primo quidem de Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus & Magiſtratibus ad vetus Italiae regnum pertinentibus diſſerit; deinde varios civici regiminis ritus ac privatorum hominum exponit mores: de libertate ac ſervitute, de judiciis, de militia, de legibus, nummis, artibus, litterarum ſtudiis, linguae Italicae origine, mercatura, reliquiſque ſimilibus verba facit. Pulcherrimae quoque ſunt maximam partem atque utiliſſimae illae *Diſſertationes*,

quibus expedit quidquid ad politicum regimen Italiae poſt annum Chriſti milleſimum pertinet; quo videlicet tempore plurimae civitates libertatem & quamdam ariſtocraticae Reipublicae formam adeptae ſunt, at poſtmodum inteſtinis agitatae diſcordiis Principum ſeu Regulorum dominationi ſe ſe ſubjecerunt. Quod ſpectat ad Chriſtianam Religionem atque Eccleſiaſticam diſciplinam, habet ille quaedam in his libris, nimirum quibus aliquid lucis rebus ſibi propoſitis ad diſſerendum addere ſe ſe poſſe putat. Reliqua enim intacta dimittit, non quod, ut cavillatur Cennius, ab hoc ſtudiorum genere, quaſi non admodum ſibi exculto, refugeret, ſed ne, quod vetere proverbio vetamur, non ſine faſtidio lectoris actum agere videretur. Pleni enim ſunt doctorum hominum libri, plenae ſunt iis rebus hiſtoriae, ut aliquid novi difficile poſſit afferri. Opus autem univerſum a declinatione Romani Imperii ad annum Chriſti MD. ducitur. Ceterum hoc etiam in opere quaedam invenies non modo medium, quod ſibi proponit, aevum, ſed & antiquius illuſtrantia. Ut unum afferam exem-

plum, *Diſſertatione* XXXII. ſub initium, duobus e Suetonii *de illuſtribus Grammaticis* libro locis allatis, comprobat fuiſſe Romae per vetera illa tempora ſcholas, in quibus adoleſcentes non modo Graecam, ſed & Latinam linguam edocerentur. Eadem volumine II. *de Perfecta Poeſi* Muratorius dixerat, ſed in *enarrationibus* Antonius Maria Salvinius inficiatus fuerat. Verum haec obiter. Hoc opus, a Muratorio ſub extremum tempus aetatis in epitomen vernaculo ſermone contractum eſt. Amicis videlicet id efflagitantibus indulſit, cum nullum eo tempore prae manibus pertractandum haberet argumentum. Laborem hunc circa medium annum MDCCXLVIII. ſubire incoepit, & opus ad umbilicum perduxiſſet, niſi obſtitiſſet valetudo. Cum haud aliud ſupereſſet ea ratione contrahendum quam dimidia *Diſſertatio* LXIX. ac LXX. (nam poſtremas etiam ad quintam ſupra ſeptuageſimam duxerat ad exitum) oculis captus eſt, ac non multo poſt e vivis ereptus. Sed ante mortem illius totam abſolvit epitomam. Petrus Hercules Gherardius, qui Praefecti

biblio-

bibliothecae Eſtenſi gerebat vices, Muratorii familiaris ac neceſſarius. Comprehenditur autem haec epitome tribus dumtaxat mediocris formae voluminibus. Etenim conſulto Muratorius maximam partem amputavit veterum monumentorum, & omnia ea parva Chronica (ſic enim dicuntur) omiſit, quae ſcilicet in ſex illis majoribus voluminibus legas, auctorum tamen locos exhibet, qui vel maxime faciunt ad id, quod ſibi propoſuit. Aliqua etiam adjunxit, aliqua mutavit, aut correxit, ut ex aliqua parte novum opus effecerit. Exemplum ejus rei ſuppeditat *Diſſertatio* XIV. *de Servis ac Libertis antiquis*. Eam ſiquidem auget initio *Diſſertationis*, quam de argumento eodem ſeparatim elucubraverat ac Socii Columbarii Florentini an. MDCCXLVII. I. *memorabilium ſuorum volumine* in lucem emiſerant. Evulgavit autem haec tria volumina poſt Muratorii mortem Solius ejus ſororis filius anno MDCCLI. Venetiis, ac poſtmodum alias alii, Romae, Neapoli, atque aliis in locis. Sed cum in hoc opere, quemadmodum & in illo majori, nonnulla ſint, quae aulae Romanae diſpliceant, Cajetanus

Cennius iterum edendum anno MDCCLXV. & praefationibus ſuis caſtigandum emendandumque ſuſcepit. Negari ſane non poteſt hoc in opere Cennium de Muratorio magnifice loqui, ac multa in horum librorum laudem praeclara ſcribere. Suis autem in *animadverſionibus* Cennius duo ſibi praecipue oſtendenda ſumit. Alterum eſt, Muratorium, quod attinet ad dominationem Apoſtolicae Sedis, quam *temporalem* dicimus, omnino commentitias opiniones fuiſſe ſequutum. Id tamen non odio, aut pravae voluntati hominis Cennius ipſe tribuit, ſed tantum ex eo eveniſſe dicit, quod a juventute Muratorius Ateſtinae Domui obſecundare ſtudens ea diligentius conquiſiverit, quae dominationi eidem adverſari viderentur, nec ſatis ea perpenderit, quae maturius animadverſa facile ipſum a ſententia diſcedere coegiſſent. Alterum eſt, magnum opus *Rerum Italicarum*, *Antiquitates medii aevi*, nec non *Annales Italiae* (de iis ſuo loquemur loco) quod ſpectat ad eamdem Romanorum Pontificum dominationem falſis inniti opinionibus jamdiu a Muratorio in libro *Plenae Expoſitionis*, de quo

ſatis alibi diximus, acerrime propugnatis.
In prima *Praefatione* Cennius praeſertim, quid ſibi praeſtandum ſumat, exponit, conſiliique ſui rationes aperit. In altera *Diſſertationem* XXXIV. oppugnat, in qua donationes, quae Apoſtolicae Sedi factae narrantur, a Muratorio non ſine contemptu aliquo rejiciuntur. In tertia demum Cennius evertere illa conatur, quae Muratorius *de Origine Cardinalium*, *de Canonicis Patriarchalium* Romae, ac de *Praebendis*, *de Monaſteriis* item *Romanis*, *de Bonis ac Redditibus Eccleſiaſticis*, *de Indulgentiarum origine*, *de origine Eccleſiaſtici Principatus*, aliiſque ſimilibus attulerat, quae Romanis probari minime potuerunt. Ut paucis omnia complectar, eo Cennius tendit, ut pro juribus aulae Romanae, quoties ea Muratorium aggredi putat, in arenam deſcendat, quod quidem ita praeſtat, ut hoc quidem in opere multo ſe ſe modeſtiorem ac moderatiorem, quam Fontaninius, exhibeat. Quaedam de *Chronologia* ac de *Chorographia* Muratorii obiter attingit, de quibus hoc ſaltem loco, ut brevitati conſulamus, nihil nos dicere neceſſe eſt. Jam vero tum

ingens illud ſex voluminum opus Latinum de *Antiquitatibus medii aevi*, tum haec Italica illius *Epitome* maximi fieri ſolet, ut initio ſignificavimus, ab univerſis hominibus germanae ſolidaeque doctrinae laude praeſtantibus. At enim Franciſcus Antonius Zaccaria de *Antiquitatibus medii aevi* verba faciens *, conqueritur multos errores interveniſſe in deſcribendis veteribus chartis, quas *Diplomata* dicimus, quae quidem rerum, de quibus agitur, fundamenta ſunt. Sane quod attinet ad codices ipſos a Muratorio viſos, viderat autem ipſe pleroſque, neque fidem in iis deſcribendis, neque diligentiam, neque doctrinam ei deſuiſſe nunquam Zaccaria dixerit. Quod pertinet ad reliqua, nullum ab orbe condito ſcriptorem labore ac diligentia praeſtitiſſe noſtro, quis non facile conceſſerit? Erat autem idem Muratorius in veris cognoſcendis codicibus, & a falſis, qui ſaepius occurrunt, diſtinguendis acumine & experientia omnino ſingulari: eam ſiquidem jam ab eo tempore ſibi com-

* *Storia Letteraria ec. Tom. II.*

paraverat, quo primum Ambroſianae ac demum Ateſtinae bibliothecis, quae codicibus iisdem mirum quantum abundant, ſumma cum diligentia praeſidebat. Huc etiam illud accedit, quod Muratorius ſui Ducis ac Regis Magnae Britanniae commendatione munitus archiva ſcrutari, codiceſque inſpicere potuerit maximi pretii, quod ceteris etiam doctrinae gloria florentibus hominibus non ita facile datur. Quamobrem ſi neminem aut fere neminem hac aetate, quod pertinet ad veteres codices exhibendos, antecellere Muratorium auctoritate dixero, non erit qui niſi injuria me temere loquutum eſſe cauſari poſſit. Hae rationes, inquam, facile mihi perſuadent, illum Muratorii aemulum de typographi erratis illa ſcripſiſſe. Fatendum tamen hoc loco eſt codices nonnullos a Muratorio quamvis exoptante inſpici non potuiſſe (quis enim omnia poſſit?) ſed ab amicis deſcriptos ac ſibi miſſos typis conſignandos curaſſe. Si multos in eorum deſcriptionem errores irrepſiſſe Zaccaria velit, nihil eſt quod magnopere hoc loco repugnem; quamvis optandum eſſet, ut aliquam ſenten-

tiae ſuae rationem vir doctiſſimus aperiret; ne moti ejus auctoritate, ea dubia eſſe exiſtimemus, quae clariſſimam facem in barbarorum temporum denſiſſimas illas tenebras pedem inferre volentibus praeferre poſſunt. Sed quoniam de iis aliquid diximus, qui codices antiquiſſimos Muratorio ſuppeditarunt, iniquum omnino eſſet tacere de Caroli Emmanuelis beneficio, quem non ſemel in Muratorii vita maximi honoris cauſſa nominamus. Ipſe quidem anno MDCCXXXIV. cum eſſet in caſtris S. Benedicti, Mutinenſium Ducis Oratori admodum honorifica de Muratorio verba fecit. Hic ea de re certior factus ad Marchionem de Ormea ſibi amicitia conjunctum ſtatim litteras dedit, rogans ut Regi maximas nomine ſuo gratias ageret, eodemque tempore non dubitavit monumenta petere, quibus opus de *Antiquitatibus Italicis*, quod habebat in manibus, augeretur. Placuit officium Regi, qui ſtatim Ludovico Caiſſotio Senatus Taurinenſis primo Praeſidi mandavit, ut ſcripta, quae petebat Muratorius, eidem ſubmitterentur. Itaque brevi per eum doctiſſimum virum de-

ſcripta exemplaria Muratorius habuit membranarum ſane plurium aliarumque chartarum ad Eccleſias aut Monaſteria Pedemontii pertinentium, quae quidem in ipſius Regis erant archivo. Ne ſaepius de rebus omnino ſimilibus inſtituam ſermonem, hoc loco memorabo, quod idem ille Rex, non modo belli, ſed & pacis artibus nobiliſſimus, ab eodem Muratorio rogatus juſſit, ut omnes antiquae inſcriptiones, quae in Sardinia eſſent, tum aliquae Pedemontii hactenus ineditae, quin & illa Arcus Seguſiani non ſine aliquo errore per Maffejum exhibita, deſcriberentur, & ipſi mitterentur Muratorio. Iis autem inſcriptionibus hic uti volebat ad opus inſcriptum *Novus Theſaurus Veterum Inſcriptionum*, de quo jam a nobis inſtitui ſermonem ipſa temporum atque rerum efflagitat ratio. Primis annis, quibus Mediolani verſabatur Muratorius, *Collectionem veterum Inſcriptionum* efficere cogitaverat, quas Gruterus, Reineſius ac Sponius omiſiſſent. Itaque multas jam ad id inſcriptiones ipſe conquiſierat atque adinvenerat, multas item ſubmiſerant eidem amici, praecipue Joannes

Ciampinius, Proſper Mandoſius, Antonius Felix Marſilius, Julius Antonius Averoldus, Apoſtolus Zenus, Antonius Magliabechius. Opus inſigne a Fabretto editum, in quo multa marmora expreſſa erant, de quibus ipſe Muratorius diſſerere voluiſſet, cauſſa fuit cur hic eo tempore cogitationem eam omnino deponeret. At cum *Diſſertationes de Antiquitatibus Italicis* abſolviſſet, aliquid etiam in eo genere novi ſe ſe praeſtiturum ſperavit. Quamobrem novam ſuſcepit *Collectionem* adornandam, in qua veteres poſuit inſcriptiones maximam partem ineditas, aut e manu ſcriptis erutas codicibus, aut ab amicis ſibi ſubmiſſas, aut etiam e libris jamdiu typorum ope impreſſis deſcriptas. Haec tamen e libris deſcripta, ut id obiter contra Cennium *Collectionem* eam inerudite aſpernatum adnotemus, minima pars earumdem inſcriptionum dicenda eſt. Ceterum habuit in animo tum in Gruteri, tum in Reineſii, tum in Sponii aut Fabretti voluminibus contenta relinquere, niſi quando aut integra cum adjunctis eſſent afferenda aut emendanda. Quibus autem de cauſſis factum

ſuerit, ut nihilominus aliquas identidem inſcriptiones eodem modo, quo ſunt in iis libris, repeteret, infra enarrabimus. Jam vero ea tota *Collectio* quatuor conſtat maximae formae voluminibus, quorum primum anno MDCCXXXIX., alia conſequutis annis impreſſa ſunt Mediolani. Inſcriptiones plerumque Muratorius opportunis adnotationibus illuſtrat, quamvis & magnam hujus operis partem alii ſibi vindicent. Primum quidem volumen, praeter doctiſſimum ipſius Muratorii *prooemium*, quo conſiliorum ſuorum in hoc opere omnem rationem aperit, *Diſſertationes & epiſtolas Joſephi Bimardi la-Baſtie Pariſienſis Montis Seleuci Baronis atque Inſcriptionum Academiae Socii* exhibet; tum inſcriptiones habet, quibus quidquid pertinet ad antiquorum Deos, ad Templa, Aedes ſacras, Aras, ſacra Dona, Kalendaria, Pontifices, Sacerdotes, alioſque ſacrorum Miniſtros, Auguſtos, Caeſares, ac Reges, Conſules, Opera & loca publica & privata, demum Collegia varia, ſatis illuſtratur. Alterum volumen eas continet, quibus de Senatus conſultis, de

Plebiſcitis, Decretis & Actis publicis, de Spectaculis, Ludis, & aliis populi oblectamentis, de Magiſtratibus ac majoribus Dignitatibus, de Militaribus, de Officiis Domus Auguſtae, de Artibus, Officiiſque minoribus, de Libertis & Servis Domus Auguſtae, de Geographicis, Civitatibus, aliiſque locis, de Municipiis & Coloniis, de affectibus parentum erga liberos edocearis. Volumen tertium affectus liberorum erga parentes, nec non conjugum, fratrum, cognatorum & amicorum inter ſe, patronorum ac dominorum erga libertos & ſervos, atque iſtorum erga illos, tum vero promiſcuos libertorum ſervorumque perſequitur. Alias habet *Inſcriptiones*, quas *Singulares*, *Minutiores & Quiſquilias* nec non quas *Dubias* aut *Spurias* ipſe Muratorius appellat. In ipſa voluminis IV. fronte ſunt *Inſcriptiones Chriſtianae*. Iis *appendix* ſubjicitur *Inſcriptionum*, quas poſt ſuſceptam eorumdem editionem Auctor ab amicis ſibi communicatas exeepit. Hinc inſpicitur *Inſcriptio Sigea antiquiſſima cum Commentariis & Notis Clariſſimi viri Edmundi Chiſullii S. T. B.*

Magnae Britanniae Regis a Sacris, & cum ejuſdem aliis *commentariis & notis Pſephiſma*, ita enim dicitur, *Sigeorum ad honorem* Regis *Antiochi*. Eſt & *Diſſertatio* ejuſdem Chiſullii *de Nummo* CΚΩΠΙ *inſcripto*. Ad extremum *Deſcriptio urbis Romae* a clariſſimo viro Philippo Labbeo Societ. Ieſu edita, nunc vero cum *lectione duorum manu ſcriptorum codicum bibliothecae Vaticanae* iterum typis edita. Hoc vaſtum opus ab ea perfectione, quam habere potuiſſet, non parum abeſt. Attamen etiam in eo Muratorium facile agnoſcas. Eduardus Corſinius cum in aliis, tum in his etiam, de quibus verba facimus, liberaliſſimis ſtudiis maximam ingenii doctrinaeque gloriam adeptus, poſtquam *Muratoriani Theſauri* naevos indicaſſet, ea tamen graviſſime pronunciavit *. *Si ex ingenti illa Muratorii Collectione naevos illos ſuſtuleris, nemo eſt certe qui vel plures in marmoribus notas viderit, aut qui plures erudite ingenioſeque explicaverit.* Maffejus autem **, *quod ad eam*, inquit, *Collectio-*

* *In prolegomenis ad opus de notis Graecorum*.

** In prooemio ad *Muſeum Veronenſe*.

nem maximam pertinet, perpendendum eſt, aliorum opera ſaepe in his uti oportere; itemque opere in longo fas eſſe obrepere ſomnum. Inſcriptiones ſine erroribus conglobare impoſſibile factu eſt. Addas velim, non huic praecipue ſtudiorum generi, quamvis & in hoc praeſtet, virum doctiſſimum ſe dediſſe majoribus intentum argumentis atque occupatum rebus, haec interdum velut aliud agentem tractaſſe puto. Ut ut ſit, permultas praeſtanteſque ab eo vulgatas eſſe epigraphes, quae alioquin adhuc deliteſcerent, omnino conſtat, multaque etiam enarrata & tradita, quae antiquam eruditionem non minimum illuſtrant & juvant. Ex Corſinii ac Maffeii teſtimoniis facile ſtatuas, quid ſit de his Muratorii libris omnino ſentiendum. Verumtamen, ut horum voluminum elevarent auctoritatem, plura ſcripſerunt Joannes Henricus Leichius Lipſienſis, Henricus Cannegetierius, Criſtophorus Saſſius, Franciſcus Antonius Zaccaria, ac Joannes Gaſpar Hagembuchius, & hic quidem non modo importunus extitit in Muratorium, ſed & inurbanus. Quoniam operis hujus defenſionem contra obtrectatores nunquam voluit ſuſcipere Mu-

ratorius curis aliis, quas multo majoris exiſtimabat momenti, diſtentus, nihil de iis, quae contra ipſum objecta ſunt, longius commentari neceſſe eſt. Nam & eſſe naevos in opere illo, quod non modo ex Muratorii laboribus atque vigiliis, ſed & ex aliorum curis in tantam excrevit molem, ultro conceſſimus, & ea, quae reprehenſione aliqua digna erant, fuiſſe ab iis amplificata, qui carpendi tantum virum rimabantur occaſionem, facile ſibi quiſque perſuaſerit. Attamen hoc loco facere non poſſum, quin breviter adnotem, quae contra Ludovicum Antonium aut inimici, aut invidi, aut certe adverſarii attulerunt, hujuſmodi maximam eſſe partem, ut de iis ultro noſter in *Praefationibus* tum ad I. tum ad IV. volumen fuſe diſſeruerit, quibuſque de cauſſis non illa quidem neglexerit, ſed non tanti fecerit, ut ab hoc opere ſibi abſtinendum eſſe duxexerit, ſatis oſtenderit. Quod enim aliqua contra conſilium ejus irrepſerit in hanc *Collectionem* inſcriptio ab aliis etiam *Collectoribus* allata; primo quidem id univerſis poſt Gruterum laborem eumdem ſubeuntibus, ut

noſter admonet, objici poteſt, deinde faci-
lius in hac ipſa *Collectione* fieri potuit, etſi
non ita ſaepe factum eſſe deprehendas. Nam
& in Sponii & in Fabretti voluminibus *In-
dices*, quos dicimus, *rerum* deſiderantur. *In-
diculum* ille ſibi paraverat ad *Inſcriptiones Fa-
bretti*, at nequaquam eum laborem *ad Spo-
nianas Inſcriptiones* aſſumpſerat: de quo quis
eum niſi injuria reprehendat? Quod per-
tinet ad Gudium, de quo, perinde ac ſi de-
ſcriptus a Muratorio fuiſſet, tantas Hagem-
buchius tragoedias excitat, haec ille habet
in *I. voluminis Prooemio. Ubi animadverti
potiorem illarum* (Gudianarum Inſcriptionum)
*partem ex Pyrrhi Ligorii ſcriniis fuiſſe deprom-
ptam, cujus fides dubia & ſubleſta eſt apud
Eruditorum non paucos, uti infra ad Claſſem
Primam non diffitebor, ipſamque praeterea Col-
lectionem incuria editorum perfecto Indice frau-
datam fuiſſe eam inſalutatam dimiſi, ac ſi igno-
ta prorſus mihi fuiſſet. Eoque magis id mihi
licere ſum arbitratus, quod permultas ex meis
Ligorianis apud ipſum expiſcatus deſiderari hic
animadverti, ita ut is aliis fontibus ac Tomis
uſus videatur, quibus non eadem forſitan erat*

ſinceritas & legitima origo, *atque in Farneſianis Ligorii Tomis*. Majoris omnino ponderis illud videtur eſſe quod objicitur, multas hujus Theſauri inſcriptiones ita eſſe deſcriptas, ut ingentes in iis errores quotidie deprehendantur. Hinc illae querelae, hinc illae Graeculorum etiam, ſi Superis placet, exprobrationes. Solet enim ea eſſe adverſariorum Muratorii non omnino mendax, ſed exaggerata altius oratio. Iis, antequam exiſterent, ſatis in *Prooemio I. voluminis* Muratorius, meo quidem judicio, reſponderat. Cum enim non ſine debita laude ſingulorum doctorum hominum nomina recitaſſet, qui vel inſcriptionum exempla, vel etiam Latinas interpretationes ſibi ſuppeditaverant, non omnes illos in marmoribus aut ſchedis exſcribendis accuratiſſimam operam collocare potuiſſe aut voluiſſe, modeſte conqueſtus eſt. Fatetur etiam aliquando ſe hujuſmodi inſcriptiones accepiſſe, ut de ſententia iiſdem ſubjecta, quin & de valore notarum divinandum fuerit. Id autem ex eo quoque dicit accidere, quod interdum occurrant marmora ita a tempore attrita, ut non quaedam litterae tan-

tum, ſed etiam integrae lineae perierint. In hujuſmodi monumentis aliisque ſimilibus exſcribendis doctos etiam homines inter ſe diſcordes non raro eſſe vel ipſa experientia ſibi compertum eſſe teſtatur. An erit aliquis tam injuſtus, ut dicat, debuiſſe Muratorium tale opus aggreſſum marmora ipſa accuratius conſulere, & quaē prave fuiſſe ab amicis deſcripta vel ſuſpicari poſſet, diligentiori ſtudio reſtituere? At, amabo, cui tantum temporis aut pecuniae ſuppetit, ut univerſás tam intra quam extra Italiam regiones, ex quibus veteres hauſtae fuerant inſcriptiones, peragrare aut velit, aut poſſit? Verum, ut quiſquis humanitate non caret, Muratorium, ſiquid in hoc peccavit, excuſatum habeat, legere illa ſufficiat, quae ſub finem *Praefationis in IV. Volumen* ille ſcribit. *Quum Inſcriptiones*, inquit, *ab amicis identidem acciperem, eaſque ſine mora Mediolanum mittere oporteret, quasdam interdum notas addidi, non pacata conſultatione digeſtas, ſed tumultuaria feſtinatione conceptas. Norunt eruditi... quam multa corrigere poſſit, qui ſua a Typographis deſcripta accipiat, antequam praelo tradantur. Hujuſ-*

modi

moli beneficiorum expers ego fui . . . Reliqua vero ad examen revocare mihi neque vacavit, neque licuit, adeo non dicam proſtratum, certe a meditatione alienum animum meum calamitates Patriae meae anno praecipue MDCCXLII. *effecerunt*. Alia poſſem in Muratorii defenſionem afferre; ſed jam in iis etiam afferendis me longiorem fuiſſe ſentio. Jam igitur de controverſia dicamus aliquid ob formulam *de Aſcia Sepulchrali* cum Maffejo habita. Nam & ea de re Muratorius in primo hujus *Theſauri* volumine fuſius agit. An. MDCCXXXVI. *Diſſertationem* elaboravit Muratorius *de Aſcia Sepulchrali*, ac de Formula *ſub Aſcia dedic.*, quae ſcilicet in antiquis reperiuntur quibuſdam inſcriptionibus. Typis ea impreſſa eſt anno MDCCXXXVIII. Romae. Putat ipſe, Aſciam inſculptam fuiſſe tumulis, tumuloſque ſub Aſcia fuiſſe dedicatos, quo monerentur heredes aut poſſeſſores agri, in quo ſepulcra condita erant, ut eadem a dumis, ceſpitibus, vepribus, aliiſque aut herbis aut arbuſculis moleſtis expurgarent, & ſic evaderet carorum hominum cineri terra levior. Ita Muratorius non modo alias doctorum ho-

minum hac in re ſententias ſed & Maffeii explicationem oppugnaverat cenſentis, nihil aliud Aſciae figura ſignificari voluiſſe, niſi ea monumenta de novo fuiſſe excitata, & nulli antea patuiſſe. Statuerat id Maffejus in *Antiquitatibus Galliae* an. MDCCXXXIII. editis *epiſtola* X. quae eſt ad Muratorium ipſum. Jam vero ſe ſe ab eo demum oppugnari moleſtius tulit, quam noſter ullo modo ſuſpicari potuiſſet; neque modo acrius fortaſſe, quam par fuerat, Muratorio ſuis in *Obſervationibus litterariis* reſpondit *, ſed & Romae cum primario quodam viro de Muratorio, tanquam de homine jam ab annis triginta ſibi moleſto, obloquutus *eſt*. Cum id reſciſſet Muratorius etiam hac vice ſatis oſtendit, quam miti eſſet animo facilique natura. Quanquam enim de amicitia tam levem ob cauſſam diſſociata vehementer doluit, etenim illa multorum annorum uſu crebris litteris ultro citroque datis confirmata videbatur, honorificentiſſimis verbis de Maffejo mentionem fecit, quotieſcumque fecit.

* *T. IV. delle Oſſervazioni Letterarie p. 223. e ſeq.*

Diſſertationem illam ſuam in Latinum convertit ſermonem, ac volumini primo *Theſauri Inſcriptionum*, de quo nunc loquimur, inſeruit, nec non reſponſionem ad ea ſubjecit, quae noviſſime a Maffejo fuerant allata. At iis demum verbis univerſam concluſit orationem. *Rogandus eſt doctiſſimus Marchio, ut & ipſe pacatiore animo iſta excipiat, neque putet, quod ſibi interdum contradicatur, quidquam detrahi ampliſſimis ſuis in re litteraria meritis. Equidem ab iis agnoſcendis ac depraedicandis, quantum potero, faciam, ut me nullus affectus ne in poſterum quidem avertat*. Senſit fortaſſe Maffejus in objurgando Muratorio ſui ſe ſe diſſimilem praeſtitiſſe. Quamvis ergo ſuam illam opinionem *de Aſcia Sepulchrali* etiam in *Muſaeo Veronenſi* produceret, ab acribus quibuſque verbis in adverſarium ſuum prorſus abſtinuit; quin imo novas a Muratorio pro ſua ſententia rationes in *volumine* I. hujus *Theſauri* allatas omnino reliquit intactas. In aliis etiam non ita magni momenti rebus a Maffejo Muratorius diſſenſit, ut ex hujus *Diſſertatione* XXXIV. & XL. de *Antiquitatibus Italicis*, aliiſque conſtat. Amicitia tamen in-

ter tantos viros, ipſa ſimilitudine virtutis atque doctrinae facillime inſtaurata, non amplius aliquid ob opinionum diverſitatem detrimenti cepit. At Muratoriana *Diſſertatio de Aſcia* eodem anno MDCCXXXIX. a duobus aliis doctiſſimis viris, Jacobo Martinio ſcilicet atque Alexio Simmaco Mazzocchio oppugnata fuit *; quorum argumentis reſpondere ſemper Muratorius diſtulit, aliis nimirum occupationibus impeditus; etſi Mazzocchio, quod ab eo, quamvis ea in re adverſario, humaniſſime fuiſſet habitus, litteras dederit officii amoriſque pleniſſimas **. Infinitus eſſem, ſi quidquid protulit Muratorius ad antiquitatem illuſtrandam, cujus omni tempore ſtudioſiſſimum ſe ſe praebuit, fuſius perſequerer. Sed argumentorum cum iis, quae modo attigimus, ipſa ſimilitudo efficit, ut curſim & obiter aliqua per eum-

* *Martin. Explication de divers monumens ſinguliers: A Paris &c. Diſſertatio* Mazzocchii *de Aſcia* Neapoli fuit edita.

** Recitat eas in *Appendice I.* Solius, qui & Mazzocchii, qua Muratorio reſpondet, epiſtolam exhibet.

dem edita, ad hoc ſtudiorum genus pertinentia commemorem. Huc enim facit *Diſſertatio* Muratorii de celebri quadam *Inſcriptione Hiſpelli inventa*, quam ſibi miſſam publici juris anno MDCCXXXV. fecit Venetiis in X. ſuorum *Opuſculorum volumine* Angelus Calogeraus, inter homines litteris faventes illuſtre nomen. Hic quidem anno MDCCXLIV. volumine XXXI. aliam edidit Muratorii *Diſſertationem* Dominico Bertolio dicatam *de Inſcriptione ad Urbem Fori Julii in Provincia ſpectante*. Facit etiam huc opuſculum, quod inſcribitur *Placitum* Ravennae *apud Claſſem habitum a Sylveſtro II. P. M. & Ottone III. Auguſto* a Muratorio illuſtratum; quod *volumine V. Symbolarum* ſuarum edidit Antonius Franciſcus Gorius: cui etiam debemus editionem primam *Diſſertationis* Muratorianae *de inſigni Tabula Aenea ad alimentarios pueros atque puellas Trajani Auguſti in Italia pertinente*, quae prope Placentiam anno MDCCXLVII. eruta fuerat. De hoc eodem argumento ſcripſit Maffejus, quin & Muratorium antevertere voluit eamdem inſcriptionem ante ipſum typis imprimens: vo-

luiſſet etiam, ut Muratorius non ante ſe quidquam ad illam tabulam explicandam evulgaret, idque per communem amicum curaviſſe dicitur; ſed cum Muratorius *Diſſertationem* ſuam Etruſcam de Latina factam *Sociis Columbariis* Florentiam miſiſſet, morem tanto viro, quemadmodum exoptaſſet, gerere non potuit. Muratorii opus hoc Socii Columbarii *ſecundo Memorabilium ſuorum volumine* optaviſſent edere: at cum res protraheretur in longum, Gorius, de quo diximus, gloriae Muratorii ac litteratorum hominum deſiderio conſuluit. Denique ad extremum hoc loco memoranda eſt *epiſtola* item Italico ſermone ſcripta ad Angelum Mariam Bandinium *de Obeliſco Campi Martii*, quem anno MDCCXLVIII. Benedictus XIV. in lucem extrahi mandaverat. Ea quidem ab eodem Bandinio fuit edita poſt *Diſſertationem* ſuam ad illud inſigne monumentum antiquitatis illuſtrandum litteris conſignatam. Demum inter opera Muratorii, quibus res ad antiquitatem pertinentes magis illuſtrantur, non ultimum obtinet locum, quod in duo volumina diſtributum Venetiis an. MDCCXLVIII.

prodiit praefixo titulo: *Liturgia Romana vetus tria Sacramentaria complectens, Leonianum ſcilicet, Gelaſianum & antiquum Gregorianum.* Anſam autem hujus condendi operis ei dedit Joſephus Blanchinius vir & ſua & patrui gloria illuſtris. Hic in animo habuerat hujuſmodi opus per ſe condere, atque ad id plurima jam collegerat monumenta; quin & univerſa, quae dicuntur *Sacramentaria* typis jam edita rurſus in illo decreverat exhibere. Verum aliis curis impeditus nunquam id praeſtare potuerat. Itaque Muratorio quae collegerat ipſe liberaliter omnia obtulit, quin & ipſas cupreas notarum formas tradidit, quas incidi curaverat, ut codicum, quibus uſus erat, noſceretur antiquitas. Libenti animo haec Muratorius accepit, operique manum, etſi jam ſenio gravatus, admovit. At ne opus nimis excreſceret, noluit omnia in eo *Sacramentaria* deſcribi. Itaque *Leonianum* edidit ac *Gelaſianum* jamdiu vulgata, ſimulque *Gregorianum* ex illis Blanchinii ſchedis excerptum. Iis addidit *Miſſale Gothicum, Francicum & Gallicanum.* Ea jam Cardinalis Thomaſius edenda cura-

verat. Addidit etiam aliud *Gallicanum vetus*, ſimul cum duobus vetuſtiſſimis *Eccleſiae Romanae Libris Ritualibus* opera Mabillonii jam evulgatis. Doctiſſimam iis omnibus *tractationem de vetere* ejuſdem *Eccleſiae Liturgia* praemiſit, quam cum aliarum vel *Orientis* vel *Occidentis Eccleſiarum Liturgia* comparavit. Sed & Theologum in hac eadem tractatione agit contra Haereticos, praecipue Bingamum atque Baſnagium, Catholicam ex iis quoque *Liturgiis de Sacramento Euchariſtiae ac de Miſſae Sacrificio* doctrinam aſſerens atque defendens. Itaque mirum non eſt, ſi hoc idem opus Catholici admodum lubenter exceperint. Ex his autem, quae narravimus, unuſquiſque videt erraviſſe Cennium, cum fere nihil praeter nomen ſuum ad hoc opus contuliſſe Muratorium, confidenter affirmavit. Sed tempus eſt, ut ad *Annales Italiae* veniamus, qui mirum in modum noſtram illuſtrant hiſtoriam. Eos anno MDCCXL. ſuaſu amicorum ſcribere incepit. Tanta illos celeritate confecit, ut anno MDCCXLIV. Venetiis, quamvis Mediolani praeferretur nomen, typis impreſſa priora quinque vo-

lumina fuerint, & alia quatuor anno, qui conſequutus eſt, quamvis in ipſorum fronte ejuſdem anni MDCCXLIV. nomen inveniatur. Illi enim ab initio Aerae vulgaris ad annum MD. novem voluminibus pertingebant. At demum ab iiſdem amicis ſe ſe exorari paſſus eſt, ut tria iis volumina adjiceret, quibus res geſtas ad an. MDCCXLIX. proſequeretur. Duobus annis novem priora volumina fuiſſe elucubrata, quod Solius diſerte tradit, nec Muratorius in I. *voluminis Praefatione* videtur abnuere, Cennio perſuaderi nullo modo potuit. Tanta enim celeritas ipſi videtur omnino incredibilis. Idem conjicit, multos Muratorio fuiſſe adjutores tum in hoc tum in aliis operibus exarandis, qui merita laude fraudati ſint. Haec omnia, meo quidem judicio, temere dicuntur. Cum enim huic narrationi Muratorii teſtimonium haud repugnet, ut ipſe Cennius ultro fatetur; quis eum graviſſimum virum vanae profecto laudis nullo modo indigentem, in re tam exigui momenti ſine cauſſa voluiſſe mentiri ſuſpicetur? Res autem avunculi, quod pertinet ad ipſam hiſtoriam, nemo melius quam

Solius noſſe poterat, plurimis annis; cum il-lo dies noctesque verſatus. Ejus autem honeſtas ac morum integritas ſatis perſpecta vel ipſi Cennio eſſe debuerat. Praeterea, quod ſpectat ad tantam ſcribendi atque opera cudendi celeritatem, quae certe non fuit in ullo ſcriptore quam in noſtro major, ut ejus libri Caſſii Parmenſis opuſcula vel ipſo numero vincere videantur, tota Mutinenſis civitas & nobilitate & litteris florentiſſima ejus rei teſtimonio eſſe poteſt. Vir quidam oppido doctiſſimus ac Muratorio familiaris mihi narrare ſolebat, ipſum, etſi libris in Eſtenſi bibliotheca circumfuſum, fere memoriter, & ea ratione, qua ſolemus litteras ad amicos de rebus non maximi momenti dare, *Annales Italiae* perſcripſiſſe. Cum enim in *Rerum Italicarum Scriptoribus* evolvendis conſumpſiſſet aetatem & memoria polleret ſingulari, huic commendaverat res omnes in Italia geſtas, ut vix aliquando Scriptores eoſdem de notis annorum, aut aliis haud abſimilibus, ad numerorum rationem pertinentibus, conſulere opus habuerit. Jam vero priora illa novem volumina Germanicam

in linguam converſa iterum Lipſiae prodierunt. Omnia autem rurſus edita ſunt Romae opera Joſephi Catalanii viri docti, qui & eadem *criticis* illuſtravit *praefationibus*, ac tres adjecit annos. Venetiis item ac Neapoli ſunt impreſſa; ac ſaepius etiam in poſterum, quoad litterarum reſpublica ſtabit, multis in locis imprimentur. Res enim ſcitu digniſſimas, quarum bene multas hiſtorici, praeſertim barbararum aetatum, cum aliis aut inutilibus aut etiam fabuloſis tradiderunt, e tenebris eruit, atque ordine aptiſſimo, nec non magna ſemper uſus perſpicuitate verborum in optima luce collocat. Is quidem ordo & ea perſpicuitas, niſi fallor, efficit, ut *Annalium* lectio mirum in modum delectet homines etiam mediocriter eruditos, ac ſine ſatietate delectet. Negari non poteſt in hoc etiam Muratorii opere naevos inveniri, quin & rationem ſcribendi doctiſſimum auctorem tenuiſſe, in qua praeter illa duo, quae diximus, nihil admodum laudes; multa etiam, ſi exigas ad narrationis hiſtoricae regulas a rhetoribus traditas, aut Etruſcam deſideres orationis elegantiam, valde vituperes.

Ut ingenue fatear, quod ſentio, mihi videntur *Annales* ea ferme ratione ſcripti, qua ſolent ii ſcribere, qui de rebus in toto geſtis terrarum orbe per ſingulas hebdomadas chartis illis vulgo notiſſimis nos edocere ſtudent. Eos quidem ille naevos, & quae nos perſtrinximus, vitia, cavere facile potuiſſet, ſi feſtinare lentius, ut antiquum fert adagium, neque typographis amicisve ſemper urgentibus, ut aliquid daret imprimendum, nimis obſecundare voluiſſet. Sed ut ad res ipſas in *Annalibus* contentas referamur, non Itali modo, ſed etiam exteri, qui poſſint hiſce de rebus jure ſuo quodammodo judicare, maximo ſe ſe hoc opus in pretio habere ſignificarunt: qui vero eidem adverſati ſunt ſibimet ipſi potius nominique ſuo, quam Muratorii gloriae, nocuerunt. Ex iis Petrus Antonius Vitalis anno MDCCXLVI. Neapoli librum edidit *decem* conſtantem *animadverſionibus in Muratorii Annales*, quibus non adverſarium, quod ipſe moliebatur, at ſe ſe ridendum praebuit. Cum enim quaedam improbaret & carperet eruditis ab hominibus nunquam deſpectui habita, in id

orationis intendebat nervos, ut nebulonem & inanis gloriae cupidine inflammatum oſtenderet Muratorium, quo nihil humanius, nihil modeſtius, aut ſapientius inveniri poterat. Cum hunc graviſſimus ille ſenex lectitaſſet librum, non modo non exarſit ira, ſed hominis levitatem riſit; docti vero homines atque prudentes impudentiam Vitalis atque temeritatem quovis convicio digniſſimam exiſtimarunt. Ariſtarchi partes in Muratorium eodem anno MDCCXLVI. ſuſcepit Cajetanus ille Cennius, de quo ſaepe loquimur, in *Romanis Ephemeridibus*, quamvis anno MDCCXIV. duo prima volumina inter eaſdem *Ephemerides* laudibus fuiſſent elata. At hic etiam in carpendo modum ſapiente doctoque homine dignum non ſatis adhibuit; fortaſſe quod ſuum in ea ſcriptione nomen haud proderet. Sane verbis quandoque uſus eſt in graviſſimum virum, quae pleriſque Romanis litterarum amore flagrantibus ſtomachum moverint. Nolebat ei reſpondere Muratorius, tametſi ab amicis enixe rogaretur, cum id tantummodo reponeret, multo diutius *Annales* ſuos, quam *Romanas E-*

phemerides, duraturos. Sed cum tria, de quibus diximus, volumina prioribus novem adjiceret, ut hiſtoriam ad annum MDCCXLIX. produceret, *defenſionem* quoque *ſuam contra Cennium* iiſdem appoſuit nervi ſuccique pleniſſimam. Iterum Cennius extitit in *Annales*, quin & in alia Muratorii opera, cum typis impreſſam legit illius *vitam a Solio deſcriptam*. Etenim inter ipſas *Romanas Ephemerides* multa contra hiſtoricum ſcripſit, de quibus, praeſertim quod ab ipſo, in *reſponſione ad Aretinam Muratorianorum Operum editionem praefixa*, ſatis confutata ſint, nihil nos attinet plura dicere. Illud certe non eſt a nobis de Muratorii vita ſcriptiſque differentibus omittendum, pleraque Cennii eo tandem facere, ut aulae Romanae jura, quamque *temporalem* dicimus, *Eccleſiae dominationem*, contra Muratorium confirmet atque defendat. Ea quidem in re Cennio veniam facile concedimus. Aliqua tamen ferenda minime videntur ab ipſo contra Muratorium petulantius enunciata; quod ſane ad cauſſae ſuae defenſionem minime conferebat. Invehitur in Muratorium, quod in Ludovici Pii *Diplomate*,

ubi de Roma ac *Ducatu* Romano loquitur: Caeſar, quaedam ille verba mutaverit *. Atqui Muratorius nihil mutavit. Tantummodo monuit, ubi legitur *a praedeceſſoribus veſtris*, potius legendum videri *a praedeceſſoribus noſtris*. Ea quidem eſſet maximi momenti correctio. Non tamen eam proprio marte Muratorius excogitavit: a Gratiano hauſit Romae juſſibus Gregorii XIII. Summi Pontificis emendato, & ibidem in maximae formae volumen anno MDLXXXII. typis evulgato **. Quod vero Cennius ait haud ſemel in *Annalibus* Muratorium Pagii *Chronologiam* fere deſcripſiſſe, nullum fere artis criticae uſum prae ſe ferre, Baronium ab eo in epitomen redigi, aliaque ſimilia, certe graviſſima eſſent, niſi ab iis, qui lectioni *Annalium* vel minimam dederint operam, facile refelli poſſent. Nam & Pagium ſaepius oppugnat, & Baronium deſerit, & eum ſe ſe praeſtat, ut voluiſſe Cennium Mu-

* *Tom. IV. degli Annali pag. m.* 503.

** *Vid. Decret. Gratiani P. I. Diſtinct. LXIII. Cap. XXX.*

ratorio detrahere, ſed quaerentem fragili dentem illidere ſolido offendiſſe, nullo negotio ſtatuas. Locus hic eſſet, ut aliquid de Bartholomaeo Carrara Theatinae familiae homine, in *enarrationibus ad alterum volumen vitae Pauli IV. Summi Pontificis* an. MDCCLIII. editae, parum liberaliter de Muratorii *Annalibus* obloquente, ac de aliis quibuſdam ejus adverſariis, dicerem. Sed neque hujuſmodi oppugnatores Muratorius curavit, nemo curare unquam potuiſſet, niſi a ſcribendo prorſus abſtinuiſſet. Ad recentiorum temporum hiſtoriam pertinet Muratorianum opus, vernaculo item ſermone elucubratum, *de Chriſtianis in Paraquaria ſub Jeſuitarum illuc Evangelii praedicandi cauſſa miſſorum regimine felicibus*. Hoc anno MDCCXLII. ſcribere inſtituit, cum *epiſtolas* lectitaſſet *Cajetani Cattanei Jeſuitae annis* MDCCXXIX. & MDCCXXX. *ad Joſephum fratrem e Paraquaria datas*. Quamvis nihil e Jeſuitarum tabulariis, quod faceret ad hoc opus, impetrare potuiſſet, illud abſolvit, atque edi curavit Venetiis anno MDCCXLIII. cum *tribus*, de quibus loquuti ſumus, *Cattanei epiſtolis*,

ſtolis. Cum oſtendiſſet in eo Muratorius nullam eſſe Jeſuitis in eos populos dominationem, quam *Monarchicam* appellamus, ſcribit Solius ad gloriam ipſius contuliſſe non parum, quod eodem anno MDCCXLIII. XV. kalend. Januar. edictum Philippi V. Regis Hiſpaniarum, iis, quae ſcripſerat Muratorius, omnino conſonum, Jeſuitas eo crimine liberaverit. Facilis eſt conjectura quantopere liber hic Jeſuitis ac Jeſuitarum amicis univerſis fuerit acceptus. Praeter *Praepoſitum Provincialem* Paraquariae *Praepoſitus Generalis* Jeſuitarum gratias ei per epiſtolam totius nomine Societatis egit, ac poſtmodum litteras ad eum hic dedit, quibus qui poti-rentur, Jeſuitarum veluti fratres & erant & habebantur. Hieronymus autem Lagomarſinius, cui primas eo tempore Latini ſermonis omnes facile concedebant, homo, cui nihil unquam in orbe terrarum Ciceronis operibus ac Societate ſua fuiſſe videtur antiquius, I. volumen ei dicavit Antonii Mariae Gratiani *De ſcriptis invita Minerva*, quod ipſe illuſtravit atque edidit. Hic quidem cum aliis Jeſuitis Muratorium flagitavit, ut re-

rum quoque a Jeſuitis in Malabaria geſtarum, contra Norbertum Lotharingium ex Cappucinorum ordine defenſionem ſuſciperet; ſed impetrare non potuit. Etenim multo magis erat Muratorius a contentionibus alienus, quam ut tot tantiſque litibus ſe ſe ultro immiſceri ſineret. Illud quidem libenter fecit, ut cum e Jeſuitarum archivis ea, quae concupierat, monumenta potuiſſet excerpere tum ad Paraquariam, tum ad alias Americae provincias pertinentia; cumque Henricus Henriquezius Nazianzi Archiepiſcopus, Pontificius per ea tempora Matriti Nuncius, libros bene multos ei ſubmiſiſſet ad id facientes, *alteram partem* operi, de quo diximus, adjiceret. Ea tamen non ante annum MDCCXLIX. typis vulgata eſt, quo tempore etiam illa prior iterum excuſa fuit. Et id quidem ſaepius contigit, ut fieri debuiſſe omnes facile vident. Inſtituti noſtri ratio ferre videretur, ut aliquid de hoc toto Muratorii opere a pluribus probato, a pluribus rejecto dicerem. Sed id malo aliorum judicio relinquere. Ea quidem commemorabo, quae Solius hanc in rem habet.

Ille quamvis non parum in Jeſuitas, cum a quibuſdam ex illis non modo laceſſitus, ſed & indignis omnino rationibus habitus fuiſſet, iratus, ſanctiſſime tamen teſtatus eſt, Muratorium omnia, quae ſcripſerat de Paraquariae rebus, ad mortem uſque veriſſima exiſtimaſſe, & a vero prorſus abludere narrationes eorum, qui Muratorium ſub extremum tempus aetatis a Jeſuitis amiciſque Jeſuitarum ſe ſe deceptum ſenſiſſe tradiderunt. Deinde Solius id ſuo dolori dedit, ut revera Muratorium fuiſſe deceptum a Jeſuitis affirmaret. Suae rationem ſententiae narrationibus iis inniti, quae non ita multis poſt Muratorii obitum annis de Jeſuitis Americae, ipſorumque in Paraquaria Regno vulgatae ſunt per Europam, Solius idem non obſcure ſignificat. Jam ergo lector ſtatuat, an, quae de Jeſuitis iisdem fere quatuor ac viginti ab hinc annis conſcripta ſunt, veritate niti opinetur: quanquam de his poſteri melius fortaſſe judicabunt, quam nos; nam certe incorruptius, quoniam & ſine amore & ſine odio, ac rurſus ſine invidia, & ſine timore aliquo judicabunt. His tan-

dem omiſſis, equidem cum hoc Muratorii de Paraquaria opus ex aliis capitibus commendare poſſem, tum in eo vel maxime Scriptorem admiror, quod ille tam multa in Jeſuitarum afferret laudem, tamque praeclara quo tempore non ita levibus per plures Jeſuitas injuriis fuerat affectus. Videlicet Jeſuitas a Jeſuitis ille perpetuo diſtinxit; nec quos malevolos noverat ac maledicos, ſuperbos, ſuſpicioſos, aliorum contemptores, falſa demum pietatis ſpecie deceptos, decipientes, cum ceteris confudit aut hominibus frugi, quantum ſatis eſſet, aut etiam vel doctrinae, vel eximia quavis alia laude praeſtantibus. Utinam univerſi aetatis noſtrae homines tanti viri ſequerentur exemplum! Iis, de quibus diximus, editis, cogitavit etiam Muratorius ſcribere de ſacris aliis in Infidelium regiones expeditionibus, illasque praeſertim deſcribere, quas in Aethiopiam factas audiverat. Ea de cauſſa, ut chartae ſibi traderentur ad id facientes ex archivo Collegii *de Propaganda Fide* a Benedicto XIV. efflagitaverat. Facile Pontifex annuit, ſed Muratorio ſimul ſignificari cu-

ravit, multo ſibi gratius & Eccleſiae utilius fore, ſi de rationibus ageret, quibus per diverſa ejuſdem Eccleſiae tempora Evangelii praecones, ut ejus lucem in barbaras inferrent regiones, uti conſueviſſent. At neutrum poſtea Muratorius praeſtare potuit, illud, quia monumenta, de quibus diximus, non ejus expectationi reſponderant; hoc, quia viſum eſt majus onus, quam ut humeri ſenis jam nec otio nec libris ad id neceſſariis abundantis, ferre poſſent. Quae diximus hactenus non leviter, opinor, oſtendunt, quantum in ſtudiis, quae vocamus, eruditionis Muratorius excelluerit. Jam ergo nobis enarrandum ſupereſt, quid in rebus Theologicis potuerit, quidque praeſtiterit. Nos hoc etiam loco, quem in ſuperioribus tenuimus, morem tenebimus, ut opera, quae condiderit ad eas pertinentia diſciplinas, exponamus, ac deinde quid in republica de iis operibus judicatum ſit, quaſque pugnas ob eadem auctor ſuſtinere debuerit, ubi ſit opus, enarremus. Ex univerſis Muratorii libris ad Theologiam pertinentibus, primo videre lucem ea, quae dixit *Prolegomena ad*

Veritatis & pacis amantes praemiſſa operi; cui titulus; *Elucidatio Auguſtinianae de Divina Gratia Doctrinae*. Hoc opus, quod Muratorius anno MDCCV. curavit edendum non Coloniae, quod titulus praefert, ſed alibi, duobus conſtat ex libris, ſive *Tractatibus*, ut vocant, *Theologicis*, quorum alter eſt Celſi Cerrii Canonicorum Regularium S. Salvatoris Abbatis, qui ſub Leſcii Crondermi nomine latere voluit, alter Franciſci Diroiſii Galli Sorbonae Doctoris. Opus autem univerſum erat contra Janſenii doctrinam; ex qua tot per ea tempora in Eccleſia Gallicana turbarum occaſio extiterat. Ita ſcripſit Muratorius, ut non modo, quid jam poſſet in graviſſimis hiſce ſtudiis omnino patefaceret, ſed & animum ab inanibus alienum contentionibus, & omnino pacis, omnino veritatis amantem in ipſo juventutis aeſtu prae ſe ferret. Utinam ſaepius id in Theologis noſtrorum temporum vel maxime grandaevis laudare poſſemus! Quanquam vero Muratorii commentarius nemini fere Jeſuitarum, cum alias omnino ſequerentur vias, valde placuit, poſt ejus editionem glo-

ria Muratorii non mediocriter creſcere viſa eſt. Ut nihil de aliis dicam, qui haec *Prolegomena* magnopere laudarunt, Cardinalis Proſper Lambertinius in epiſtola ad ipſum Muratorium, quam Solius affert, ea eſſe confirmat *auctore ſuo, qui numquam a veritatis via declinet, omnino digna*. Quis crederet poſt annos XLV. hominem inventum eſſe ita impudentem, ut eadem *Prolegomena* non a Muratorio, ſed ab ipſo Celſo Cerrio fuiſſe conſcripta, temere pronunciaret *? Ille quidem ſcriptor, qui dumtaxat eo laudandus mihi videri ſolet, quod nomen ſuum, veritus fortaſſe reprehenſionem doctorum hominum atque prudentum, operi ſuo minime inſcripſit, plagii Muratorium poſtulavit, a quo crimine, ſi quis mortalium, omni tempore aetatis ſuae vel maxime abhorruit. Nam ſi quid alienum ſuis inſeruit libris, aut ab amicis ſibi communicatum, aut ex aliorum ſcriptis excerptum, ita ſemper ultro confeſſus eſt, ut modeſtiam hominis & in-

* Auctor Anonymus libri cui tit. *Difeſa delle Animavverſioni &c.* editi Lucae anno 1750. contra Maffejum,

genuitatem omnes admirati ſint. Ceterum nihil facilius eſt, quam crimine, de quo diximus, Muratorium liberare. Nam ipſius Cerrii epiſtolam anno MDCCIV. id. Sext. datam ad Muratorium profert Solius *, qua nihil aut validius aut clarius hac quidem in re deſideres. Nam & *Prolegomena* ipſa Muratorii ſe ſe Praeſulis Borromaei opera jam accepiſſe teſtatur, & quid in iis notaverit amice ipſi patefacit, & graviſſimis verbis laudat, & ut ſuo praefigantur commentario, probat atque optat **. Alterum opus Muratorii ad Theologiam pertinens inſcribitur; *Lamindi Pritanii de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio &c.* Hanc tractationem ſuſcipiens Muratorius illud ſibi propoſuerat, ut Joannem Clericum praeſtantem doctrina virum confutaret; qui ſcilicet ſub nomine Joannis Fereponi anno MDCCII. ediderat ſuas *in Auguſtinum Animadverſiones*. Iis nimirum Criticus, nunquam ſatis ingenio doctrinae-

* *Vit. Murat. Cap. IX. §. VIII.*

** Vid. Maffejum in libro, cui tit. *Gianſeniſmo Nuovo &c.*

que ſuae temperans, tantum Eccleſiae Doctorem contumeliis afficit atque proſcindit. Ut, quod intendebat noſter, felicius praeſtaret, quaenam eſſent verioris artis criticae regulae ad ſacras diſciplinas relatae, oſtendendum duxit. Etenim eruditi quique norunt de regulis artis criticae ita ſcripſiſſe Clericum, ut plurimos homines tum ſibi tum libris ſuis in Europa conciliaverit. Itaque tametſi periculoſum erat aggredi tantum virum, at certe ſuperare, cum ad laudem illuſtre atque magnum, tum ad cauſſam, quam ſuſceperat noſter, omnino neceſſarium eſſe videbatur. Cum ille ſe ſe compararet ad retundendas adverſarii calumnias, ſcriptores aliquot etiam Catholicos quaſi obiter arguit, qui nimirum ingenio nimis indulgent in ipſo Religionis negotio. Saepius tamen admonet hominum mentibus non eſſe frenum injiciendum, quod ferri non poſſit, ut nihil in ſcribendo audeant; nec non de libertate diſſerit, qua Chriſtianorum ingenia frui debeant, quin id Eccleſiae moderatores non ſatis aequo animo patiantur. Duobus haec primis libris exequitur. III. Auguſtini

defenſionem comprehendit. Opus autem univerſum Joanni Carolo Bignonio tum *Inſcriptionum Academiae* tum *Scientiarum* Praeſidi Pariſiis anno MDCCXII. dicatum jam ab anno MDCCX. perfecerat, quin & pluribus jam ante annis inchoaverat. Sed enim, quod jure ſine dubio mireris, neque in Italiae urbe quadam florentiſſima, neque in Gallia illius imprimendi facultas per ea tempora facta eſt, quod illic parum, hic autem nimium Romani Pontificis auctoritati tribuere videretur. Effectum tandem an. MDCCXIV. ut Pariſiis evulgaretur. Verumtamen, qui libri editioni praefuit, veritus minime fuit nonnulla de ſuo adjicere verba, ne Pontificis Romani, quam Theologi vocant, *infallibilitatem* auctor tueri videretur. Ea res Muratorio valde diſplicuit, ac de ſua mente auctores *Ephemeridum Litteratorum Italiae* per epiſtolam anno MDCCXVI. diſerte monuit. Ea quidem epiſtola inter eaſdem *Ephemerides* legitur. Sane Muratorium Romanis in ea re conſentire Theologis ex ipſius *Libri I. de Ingeniorum moderatione* Cap. XVII. & XVIII. ſatis apparet; quamobrem, quae Gallus edi-

tor adjecit, cum Auctoris mente manifeſto pugnant. Etſi autem haec eadem tractatio *de Ingeniorum moderatione* conſequutis annis recuſa typis eſt Coloniae, Francofurti; Veronae, Venetiiſque ſaepius, editio tamen anni MDCCLII., curante Andrea Gallandio (ſub nomine Andreae Grandorgaei) adornata Venetiis, & ab eodem *opportunis animadverſionibus* illuſtrata, iis quidem, quae praeceſſerant, editionibus praeſtat univerſis. Etenim ex manu ſcripto expreſſa eſt commentario per ipſum recognito Muratorium, & correcto & aucto; quamobrem ipſius menti ex omni parte reſpondet. Jam vero dici vix poteſt, quot laudibus & quantis per doctos homines hic Muratorii liber, etſi temporibus omnino difficilibus editus, fuerit Pariſiis exceptus. Omnes enim ferme Theologi, quamvis inter ſe maximis de rebus ea tempeſtate diſſiderent, Cenſoris Regii probavere judicium, qui ſcilicet haec pronunciaverat. *Opus meo quidem judicio eximium ac multum utilitate multiplici commendandum, in quo ſuſpexerint aequi omnes rerum aeſtimatores litteratiſſimi & candidiſſimi Scriptoris ſincerum veri-*

tatis ac religionis amorem, variam & ſummam eruditionem cum modeſtia ſumma, gravem ſermonis elegantiam, lucidum rerum tractandarum ordinem, meditatam in tradendis ſcribendi, ut par eſt, & incumbit hominibus Chriſtianis, legibus ſapientiam, exquiſitae & temperatae criticae ſpecimen & exemplum omnibus probandum, nervoſae cenſurae laudabilem aequitatem adverſus cenſorem iniquum, & criticum non ſatis temperantem. Iis omnino conſonant, quae Londino ſcripſit ad Muratorium anno MDCCXVI. Antonius Contius Venetus Patricius, nec tamen doctrina minus, cum egregius fuerit philoſophus atque poeta, quam generis ſplendore praeſtans. Ajebat enim a Theologis utriuſque partis, hoc eſt tum eorum, qui *Conſtitutionem Unigenitus* tutabantur, tum eorum qui oppugnabant, multis ex capitibus & doctrinam auctoris libri *de moderatione Ingeniorum* & peritiam in Sanctorum Patrum operibus, & animi nulli ſtudio partium addicti moderationem fuiſſe laudatam, ipſumque Malebranchium ſecum non ſine debitis laudibus de ipſo libro pluries fuiſſe colloquutum. Aliorum poſſem graviſſimorum Theo-

logorum de hoc eodem libro a levibus quibuſdam hominibus reprehenſo judicia proferre. At unus mihi ſit inſtar omnium Cardinalis Proſper Lambertinius, qui magno illum ſemper in pretio habuit, & anno MDCCXXXII. in litteris ad Muratorium (eas integras recitat Solius) vocavit illum *vere pulchrum*, *& ſuo prorſus auctore dignum*. Romae tamen Fontaninius multa commentatus eſt, quae *Obſervationes criticas* appellavit in hunc Muratorii librum, eaque per manus amicis tradidit, non tamen auſus eſt typis committere. Fortaſſe, quam infirma eſſent ea omnia, ipſum amici monuerunt. Muratorius quidem *Obſervationes* eas ab amico ſibi miſſas anno MDCCXVII. cum legiſſet, facillime *Reſponſionem* ad eaſdem elucubravit. Ea tamen, quoad Muratorius vixit, minime fuit in vulgus edita; credo, quod a ſuis edendis, ut diximus, Fontaninius abſtinuerat. Eam in Aretina Muratorianorum operum editione invenies. Multo acrior atque diuturnior ex hoc eodem opere Muratorio controverſia extitit cum *Sicula Societatis Jeſu Provincia*, quin & cum aliis & intra & ex-

tra Siciliam Theologis bene multis, de qua jam quidquid accepimus memoriae mandare, quamvis id fortaſſe non ſine quorumdam hominum offenſione fieri poterit, minime dubitabimus. *Amicus* enim nobis *Plato*, *amicus Ariſtoteles*, *ſed magis amica veritas*. Ille quidem hujus praeſtantiſſimi operis Lib. II. Cap. VI. Votum improbaverat, ſanguinem ac vitam ad defenſionem *Piae opinionis de Conceptione Beatiſſimae Virginis immaculata* profundendi. Diſplicuit id Panormitanis bene multis, qui Votum illud ſuſcipere, atque aliis proponere conſueverant. Hunc ſane morem Ludovicus Antonius, cum illa ſcripſit, minime noverat. Occaſionem ei dederat illa ſcribendi ſacer neſcio quis Orator in Eccleſia maxima Mutinenſi populo Votum illud commendans, & ad ipſum nuncupandum cohortatus. Nullus tamen per plures annos extitit, qui bellum ea de cauſſa Muratorio indiceret. Tandem anno MDCCXXIX. Panormi Franciſcus Burgius e S. J. ſub Candidi Partenotimi nomine latens libellum edidit, cui titulus: *Votum pro tuenda Deiparae Conceptione ab oppugnationibus recentioris Lamindi*

Pritanii vindicatum. Maximam videlicet ac prope divinam perſuadendi vim fuiſſe Burgio non abſurde quis dixerit. Ejus liber, ejus vox, ejus oratio totam fere contra Muratorium Siciliam concitavit. Id ſcilicet ille potuit, ut fere omnium praecipue religioſorum hominum animi Votum illud veteribus prorſus incognitum certatim faciendi deſiderio flagrarent, quin & ſancto quodam odio in ipſius oppugnatores ardere viderentur. De religione agi putabant, de puro cultu Deiparae: hanc exploratiſſimam eſſe rationem gratiae ab eadem ineundae, hanc fere certiſſimam ad aeternam ſalutem perveniendi viam; nihil autem divino Filio gratius, nihil acceptius fieri poſſe, tum Burgius tum Burgii collegae vel in concionibus, vel in aliis hominum coetibus praedicabant. Hinc Jeſuitae, qui Panormi erant, novam quamdam ceremoniam inducentes, Votum illud ante aram in *Domus Profeſſae* Templo ad unum omnes maximo quodam animorum ardore fecerunt. Tum ex iis unus aſſurgens frequentiſſimum, qui convenerat undique, populum hortatus eſt, ut preces funderet.

ne Panormi *haereſis* invaleſceret, quam ſequebantur plures, *impollutam Deiparae Conceptionem negans, ac Votum eſſundendi pro ea ſanguinem oppugnans.* Quid plura? Res eo pervenit, ut Jeſuitarum opera fere omnes hominum, quos religioſos proprius appellamus, familiae, quin & omnes illius florentiſſimi Regni civitates, praeter quam Meſſanenſes, ejuſdem Voti ſponſione ſe ſe Deo obligarent. Theatini tantummodo & Scholarum Piarum, nec non Ordinis Praedicatorum homines ea ſe ſe religione obſtringere noluerunt. Pudet me ſcribere, quamvis obiter, non defuiſſe quoſdam Panormi Jeſuitas, qui cauſſam peſtis, quae memoria noſtra Meſſanae graſſata eſt, in eam recuſationem ad populum e ſuggeſtu verba facientes refunderent. At enim nuncio de tanta Siculorum commotione ad Muratorium allato, cum per multos menſes ille Burgii librum fruſtra expectaſſet, in eum ſcribere inſtituit. Non enim ille tam famae ſuae, quam ipſi Religioni Catholicae conſulere ſtudebat, veritus ne, quod malum ille putabat atque ſuperſtitioſum, latius inter Chriſtianos ſerpere inciperet,

peret, & falſa quadam ſpecie pietatis bonorum hominum mentes animoſque corrumperet. Tandem Burgii libro perlecto & ad diligens examen vocato, ſuum abſolvit, cujus erat index: *De Superſtitione vitanda, ſive Cenſura Voti Sanguinarii in honorem Immaculatae Conceptionis Deiparae emiſſi a Lamindo Pritanio antea oppugnati atque a Candido Parthenotimo incaſſum vindicati*. Hoc autem in libro ſub Antonii Lampridii nomine voluit occuli. Ad umbilicum illum duxerat jam ab anno MDCCXXXII. Verumtamen tum quia voluit illum Auctor a pluribus iiſdemque graviſſimis perpendi Theologis, tum quia quaedam alia occurrerunt, de quibus nihil dicere neceſſe eſt, liber hic edi non potuit ante annum MDCCXL. Id factum eſt Venetiis, tametſi praeferat in ipſa fronte Mediolani nomen. Edendum curavit celeber ille Daniel Concina e Dominicana familia; non tamen aliquid de ſuo addidit, ut non nemo credere viſus eſt. Hoc in opere Muratorius illud unice ſibi propoſuit, ut *Votum Sanguinarium* (ita enim illud appellatur, de quo diſſerimus) *ſuperſtitione non carere* oſtenderet.

Ponebat enim non poſſe ſine peccato profundi vitam ad opiniones aut ſententias dubias, ac ſolummodo probabiles, id eſt non certas ea, quam *Fidei certitudinem* dicimus, defendendas. Etenim vel Deus vel ipſa natura nobis praecipit, ut vitam conſervemus, neque eam ad arbitrium projiciamus, cum ſit bonorum in toto terrarum orbe maximum, cujus nos vere domini neque dicimur, neque ſumus. Cum ergo peccatum non ſit eſſe in ſententia ei, quam propugnatores *Voti Sanguinarii* amplectuntur, contraria; cumque is crimen admittat, qui mori velit ad id defendendum, quod utrum veritate an errore contineatur, non omnino ſit exploratum; hinc qui Votum illud fecerit, temere eſſe facturum. Quod autem ea ſententia, cui Votum illud innititur, non omnino ſit certa, Muratorius, multis undique conquiſitis rationibus, conatur efficere. Oſtendit etiam, nullo modo poſſe defendi opinionem aliam, quae ſtatuit, non modo ab ipſo conceptu ſine labe fuiſſe Deiparam, ſed & prorſus immunem a debito peccatum originis contrahendi fuiſſe. Hinc autem concludit,

ut multo magis reprehendendum ſit Votum hanc etiam alteram ſententiam ad ſanguinis effuſionem defendendi; quod Votum Coſentiae in urbe Regni Neapolitani dudum ſuſcipi conſueverat. Jam vero hic etiam Muratorii liber plurimos praeſertim e Sicilia nactus eſt adverſarios. Ac primo quidem incredibile dictu eſt, cum ille pervenit in manus hominum, quot animorum ac quanti motus extiterint. Erant qui tota, quam propoſuimus, argumentatione Muratorii non leviter commoveri viderentur. His occurrebant *Voti Sanguinarii* defenſores tum in privatis colloquiis, tum etiam apud concionem religionem injicientes, ſi *Beatae Virginis immaculatum conceptum inter res omnino certas, & extra controverſiae aleam a Catholicis omnino ponendam eſſe* fateri detrectarent. Videbant enim, hoc fundamento ſuae ſententiae concuſſo, ſententiam ipſam omnino ruituram. Non deſunt etiam noſtris hiſce temporibus pii quidam homines, qui eadem jactent. Hos equidem minime contemno. Ab iis tantummodo vituperandis abſtinere vix poſſum, qui pio quodam, ſi tamen vere pius eſſe poteſt,

ſurore in Muratorium elati, ut librorum ejus elevent auctoritatem, non ſatis videntur attendere, quid res & veritas ipſa concedat. Ceterum ubi quis velit utriſque reſpondere, facillime id faciet, ſi ſapientiſſima illa verba Benedicti XIV. theologica lance penſitaverit: *Antequam controverſia ab Eccleſia definità ſit, ille qui tuetur Beatiſſimae Virginis immunitatem a peccato originali in ſua Conceptione, non poteſt non habere, imo tenetur habere formidinem de oppoſita ſententia*. Quid ad confirmandam Muratorii argumentationem validius afferri poſſit aut clarius, equidem neſcio. Sed ejus adverſarii pinguiore minerva tunc agere videbantur. Hinc, ut popellum, credo, ſuas in partes magis pertraherent, atque homines leviter eruditos a novo Muratorii libro legendo deterrerent, religioſam quamdam, ſi Superis placet, ſanctamque ſtruxere calumniam, Muratorium doctrinae ſuae nimis confiſum eo tandem eſſe prolapſum, ut *Immaculatam Deiparae Conceptionem negaret*, quod fieri quidem non potuerit, quin & pietatem & religionem & Eccleſiae auctoritatem non mediocriter lae-

deret. In aliquibus etiam ex libris, de quibus mox dicemus, haec eadem invenias. Quis jam iſta commemorans aut legens ſtomachum tenere poſſit? Etenim ſi hoc non eſt mentiri, impudenterque mentiri, quid erit per Deum immortalem? Sane Muratorius in hoc eodem libro *de Superſtitione vitanda* non multo poſt initium, Summorum Pontificum ac Tridentini Concilii Decreta, quae pertinent ad controverſiam de Beata Virgine ſine labe concepta, fuſe recitat, ac deinde ea ſubdit: *Ego illa cum ſub meis, tum ſub Lectorum oculis volui; nihil enim enixius cupio quam ea, qua par eſt, veneratione omnia intacta ſervare Romanorum Pontificum praecepta.... Non ergo hic diſputatio erit, fuerit ne concepta, an ſecus, ſine labe originali glorioſiſſima Dei Mater Maria. Una inter me ac Parthenotimum controverſia eſt ac erit, utrum amplectenti ſententiam de Immunitate Virginis ab Originali peccato liceat vovere ac jurare, ſe pro hujus ſententiae patrocinio ſanguinem quoque & vitam, quoties occaſio ferat, daturum. Quaeſtionem hanc nemo Romanorum Pontificum attigit.... Quamobrem, uti jam faſſus fueram in libro de*

Ingeniorum moderatione, iterum lubentiſſime fateor, ſententiam patrocinantem Immaculatae Conceptioni Virginis non ſolum piam, ſed ſumme piam in Eccleſia Dei eſſe. Rectiſſime faciunt, qui eam populo in publicis concionibus, aut editis libris depraedicant, atque commendant. Neque adverſus illam quoquomodo dimicare amplius licet, quamquam liceat aliter ſentire in intimis cordibus. Parendum eſt Pontificibus... Ab eorum Decretis ne latum quidem unguem diſcedere mihi quoque animus ac firma voluntas eſt. Hoc unum ergo mihi propoſitum eſt, videlicet oſtendere; ab iis Decretis reapſe deflexiſſe ac deflectere, qui pro Sanguinario Voto, aut olim, aut nunc propugnant; quippe abutentes ſilentio contrariae parti indicto, licere fortaſſe ſibi putant quidquid volunt, quaſi Romani Pontifices, dum piae ſententiae favent, licentiam quoque tribuerint quidlibet ſuperaddendi, neminique futurum fas ſit contra haec ſupperaddita hiſcere, vel quum a veritate & rectitudine aberrare creduntur. Haec magis clara ſunt atque perſpicua, quam ut majorem explicando lucem poſſint accipere. Quamobrem nihil neceſſe eſt hoc loco alia commemorare, quae Solius narrat,

illud praecipue, quod Muratorius ipſam de Beatae Virginis immaculato Conceptu ſententiam & populum ſuae curae commiſſum erudiens, & Chriſtifidelium Catholico ritu confeſſiones excipiens commendavit, & carminibus etiam editis; ut & nos narravimus *alio* loco, celebravit. Demum ex cordatioribus Muratorii adverſariis quidam vituperarunt, quod in libro *de Superſtitione vitanda* cultum *Immaculatae Conceptionis ac devotionem* (utar enim ſaepius hac voce, quam ipſa Chriſtianorum conſuetudo mollivit) traduceret ut novum inventum priſcis temporibus inauditum. At enim Muratorius hujuſmodi cultum nullo modo contempſit. Id tantum ſignificavit, quod diſertius D. Bernardus habet circa annum MCXL. Canonicis Lugdunenſibus ſcribens. Cum enim illi primum *Immaculatae Conceptionis feſtivitatem* inſtituiſſent, non dubitavit is, quem omnino ſingulari erga Deiparam fuiſſe pietate omnes norunt, pios illos homines ea quidem in re ſatis aperte reprehendere, cum feſtivitatem illam vocaret: *Novam celebritatem, quam ritus Eccleſiae neſcit, non probat ratio, non commen-*

dat auctoritas, quin & ſub ejus epiſtolae ad ipſos datae finem ea celebritas ab ipſo diſerte vocatur *praeſumpta novitas*. Sed infinita res eſſet ac minime neceſſaria univerſos perſequi rumores, quos *Voti Sanguinarii* defenſores contra librum *de Superſtitione vitanda* per Italiam ac maxime per Siciliam excitarunt. Praeſtat jam de ſcriptis praelo commiſſis contra eumdem dicere; quamvis eorum pleraque non multo ſapientiora fuerint quam illae voces contra Muratorium obmurmurantium. Quanquam in Sicilia maxime Muratorii nomen eo tempore flagrabat invidia, primus tamen contra librum *de Superſtitione vitanda* ſcribere apertius auſus eſt Venetus homo Joannes de Luca e *Minoribus*, ut vocant, *Obſervantibus* in *Monito*, quod edidit, *ad Lectorem* Neapoli anno MDCCXLI. Hoc quidem ille *Monitum* praemittendum ſcripſit Diſſertationi anno MDCCXXXIX. ibidem a ſe vulgatae *De Immaculata B. Virginis Conceptione*. De ſcriptis hujus hominis, quem ego Romae valde cognovi, vehementer mihi probatur judicium Jo. Lamii; ſin minus ea doctrinam ſatis magnam atque

ſcientiam, certe ſummam redolere pietatem & in Deiparam fervorem quemdam amoris, ut auctorem a bonitate vitae atque optima in ſcribendo voluntate non mediocriter laudare debeas. Eodem anno MDCCXLI. Panormi editae ſunt *tres epiſtolae contra Antonium Lampridium*, quarum fuit auctor Franciſcus Antonius Zacharia *. Eodem tempore eademque in urbe ſua in Muratorium ſcripta vulgarunt & Franciſcus Burgius ** & Laurentius Migliaccius Canonicus *** & neſcio quis Melchior Laurentius **** & Antonius Saguas,

* Earum eſt titulus: *Lettere al Sig. Antonio Lampridio intorno al ſuo libro nuovamente pubblicato de Superſtitione vitanda &c.* Hae non multo poſt Lucae recuſae ſunt, addita alia *epiſtola ad Cardinalem quemdam* Alexandri Santocanalis e S. J.

** *De pietate in Deiparam amplificanda Diſſertatio duplex, in qua duplex exponitur & vindicatur Votum pro tuenda ejuſdem Deiparae Immaculata Conceptione a auctore Candido Parthenotimo Siculo S. T. Profeſſore.*

*** *Lampridius detectus & caſtigatus, ſeu intemeratae Marianae Conceptionis magnanimo Voto vel uſque ad ſanguinem propugnatae Diſſertatio.*

**** *Riſpoſta ad un Cavaliere erudito deſideroſo di ſapere ciò che debba intendere intorno al libro del Sig.*

hoc eſt Veſpaſianus Trigona, qui duo e S. J. erant. An. demum MDCCXLII. prodiit in ſcenam Bonaventuras Attardius ex Auguſtinienſium familia, nonnullis contra Muratorium Panormi editis *epiſtolis* *, & Joſephus Ignatius Milaneſius Jeſuita opere nuncupato: *Lampridius ad trutinam revocatus*. Animum non deſpondit Muratorius, ſed anno MDCCXLIII. Venetiis, quamvis & hic Mediolani praeferatur nomen, librum edidit, cui titulus: *Ferdinandi Valdeſii Epiſtolae, ſeu Appendix ad li-*

Antonio Lampridio, nel quale ſi aſſeriſce imprudente, ſuperſtizioſo, ſanguinario e peccaminoſo il Voto di difendere uſque ad ſanguinem l' Immacolata Concezione della Madre di Dio: Trigonae autem; *Lettera di Pier Antonio Saguas ad Antonio Lampridio, in cui ſi dimoſtra, che il ſuo libro intitolato de Superſtitione vitanda, ſeu Cenſura Voti Sanguinarii &c. troppo ſi opponga alle leggi del Buon Guſto già con plauſo ſtabilite da Lamindo Pritanio*.

* Auctor hic apertus erat, ſi Superis placet, atque ſincerus: certe, ſi quid errabat, uti poterat illa imprudentium hominum excuſatione, ſe ſe rea eo modo dicere, quo cogitant. Epiſtolae ejus inſcribebantur: *La riſpoſta ſenza maſchera al Sig. Lodovico Antonio Muratori del P. Attardi Agoſtiniano*.

brum Antonii Lampridii de Superſtitione vitanda, ubi Votum Sanguinarium recte oppugnatum male propugnatum oſtenditur. Scriptae ſunt eae quidem epiſtolae fere in diſputatione ac dialogo. Hinc & Abbatem Romanum & Gregorium de Azebedo & alios loquentes inducit. Hanc eſſe rationem aptiſſimam ſine taedio lectorum difficillimas explicandi controverſias optimi ſcriptores & Graeci & Romani, & Itali & Galli norunt, exemploque ſuo confirmarunt. Quamobrem neſcio equidem, quid in mentem venerit inepto cuidam homini, qui ſub Franciſci de Vera nomine opus in Muratorium edidit anno MDCCLIII. dum Muratorium reprehendit, quod in eo libro *de re Theologica fecit Scenae Tragoediam unus & idem plures repraeſentando perſonas*. Barbari verba ſunt. Jam vero Muratorius hoc in opere contra ſingulos dimicat, qui contra ipſum arma pro *Voto Sanguinario* ſumpſerant. Primis quinque epiſtolis Joannis de Luca tum *Prooemium* illud, tum ipſam *Diſſertationem* in multis oppugnat; ſexta & ſeptima reſpondet epiſtolis, quae a Zacharia conſcriptae fuerant; octava Melchiori Lauren-

tii; nona ac decima Trigonae: tribus, quae ſubſequuntur, Parthenotimo; decimaquarta Santocanalio; decimaquinta Migliaccio; decimaſexta Attardio; poſtrema demum Milaneſio ſatisfacere nititur. Univerſarum autem epiſtolarum is eſt ſcopus, ut ſententia *de Immaculata Conceptione* omnino *probabilis*, quin & fortaſſe *probabilior* oppoſita ſtatuatur, ſed tamen ea *certitudine* (Theologica & hic utar voce) carens, quae tantummodo poſſit efficere, ut licitum ſit atque laudabile vitam pro ipſa profundere. His etiam in epiſtolis aliqua ad invidiam ipſi conflandam ab adverſariis oppoſita diſſolvit. Inter illa eſt, quod Migliaccius ipſi exprobraverat, nec non Jeſuita quidam Siculus, cui nomen Antonius Ignatius Mancuſius *: *Devotionem erga Sanctiſſimam Dei Genitricem eſſe utilem at-*

* Mancuſii libro, qui prodiit anno MDCCXLII. Panormi, titulus praefigebatur: *Ritratto della falſa dottrina di Lamindo Pritanio eſpoſto da Fulgoſio di Monte Pelero ec.* Nihil magis contemptu dignum in ea cauſſa prodiit, quam hic liber, quem non modo Muratorius, ſed & ipſi ejus adverſarii videntur flocci feciſſe.

que laudabilem, non tamen ad ſalutem omnino neceſſariam, cujuſmodi devotio eſt erga divinum noſtrae ſalutis Auctorem. Muratorius itaque doctrinam eam eſſe Catholicae Eccleſiae doctrinam bono illi viro Migliaccio ſatis oſtendit. Ceterum & cum hae ſub praelo eſſent epiſtolae, multa contra librum *de Superſtitione vitanda*, & iis demum editis contra eaſdem ſcripta ad manus Muratorii pervenerunt, quibus ipſe de amicorum ſententia, cum crambem recoquere viderentur, minime reſpondendum putavit *. Contempſit etiam ille plurimas ex variis Italiae partibus epiſtolas a *Voti Sanguinarii* propugnatoribus ad ipſum datas, ut eumdem ad παλινωδίαν qua hortationibus qua etiam minis impellerent; quoties illi qui ſcribebant aut nullum aut commentitium nomen iis apponebant litteris. Semel iterumque, non tamen tertio, reſpondit Victorio Cavaleſio, qui argumentum quoddam ei propoſuerat contra librum *de Superſtitione vitan-*

* Indicem Operum pro *Voto Sanguinario* editorum videre potes *T. V. della Storia Letteraria d'Italia*, aut apud Solium *vit. Murat. C. IX. §. V.*

da, nec Muratorii rationibus acquieſcere videbatur. Hic ille eſt auctor, qui Muratorio e vivis erepto librum edidit jamdiu elaboratum, cui titulus *C. Octavii Valerii* (ſub hoc nomine latere voluit) *de ſuperſtitioſa timiditate vitanda, ſive vindiciae Voti, quod vocant, Sanguinarii pro tutela Immaculatae Conceptionis Deiparae ſuſcepti contra cenſuram praecipitem Viri alioqui Clariſſimi, qui ſe modo Lamindum Pritanium, modo Antonium Lampridium, modo Ferdinandum Valdeſium ſuevit adpellitare.* Quid ſit de hoc libro ſtatuendum, haud equidem hoc loco diſputabo. Unum illud, ut tanquam ex ungue leonem, quid in arte critica poſſit auctor, agnoſcas, commemorabo; illum nec joco, nec obiter, ſed & ſerio & multis contendere, ut Muratorium ſub extremum tempus aetatis propter *Votum Sanguinarium* oppugnatum Deiparae poenas luiſſe perſuadeat *. Contempſit etiam Muratorius inſulſam rerum farraginem potius quam ingentem epiſtolam, chartas videlicet

* Si plura de Cavaleſio cupis, vid. Sol. vit. Mur. editionis Aretinae.

ineptiarum pleniſſimas, queis ipſum, tacito ſuo vero nomine, anno MDCCXLV., cum *de Voto Sanguinario* controverſia compoſita nullo modo videretur, interpellavit Joſeph Maria a Jeſu ex *Carmelitis*, quos *Diſcalceatos* appellamus. Hic quidem jam tum ſe ſe comparabat ad opus duobus voluminibus comprehenſum contra Muratorium, quod anno demum MDCCLIII., ſuis Praeſidibus invitis, in vulgus edidit, ac vero ſuo nomine occultato inſcripſit: *Deipara ejuſque Cultores vindicati a querelis Lamindi Pritanii &c. Opus Franciſci Joſephi Antonii de Vera Hiſpani &c.* Hoc opus idcirco commemoravi, quod ejus fere totam epitomam in chartis, de quibus diximus, auctor Muratorio mittere auſus fuerat. Ceterum nihil magis hac aetate indignum ab ullo Theologo prolatum eſt. Ipſe per te, quid ſit de illo ſentiendum, nullo negotio ſtatues, ſi quamvis paginam, in quam vel caſu incideris, curſim perluſtres oculis. Unum exemplum affero, quod mihi nunc occurrit. Ille quidem parte II. invidiam Muratorio ita conflare nititur: *Erat capillatus ob longum, capillique albi quaſi per duos pal-*

mos vel ultra ſupra humeros & ſcapulas ſe ſe protendebant, diviſi in ramos duos, ad oſtenſionem majoris pompae, quam etiam ipſo ingrediendi modo demonſtrabat. Quid jam de homine dicas, qui ea ratione ſcriberet, cum ignorare vix poſſet, quam facile totius Mutinenſis civitatis, imo innumerabilium hominum; qui Muratorium de facie noverant, teſtimonio refellendus eſſet? Nihil enim Ludovico Antonio tum in habitu fuit, tum in inceſſu modeſtius, nec niſi brevibus de more ſapientiorum Sacerdotum crinibus in publicum prodiit unquam *. Ex epiſtolis Muratorio propter *Voti Sanguinarii* controverſiam miſſis illae contemni non debuerunt, neque contemptae ſunt a ſapientiſſimo viro, quae de argumento a Cardinali Quirinio Pontifici Summo Benedicto XIV. recens propoſito eumdem commonebant. Si enim, ajebat Quirinius, Thomas Cantuarienſis ab Eccleſia Catholica Martyr eſt habitus ac renunciatus, quod

* Si plura cupis contra hunc nebulonem, conſule longam epiſtolam contra ipſum, quae eſt in Append. II. vit. Murat. Solii edit. Aretinae.

quod vita etiam profuſa *Immunitatem Eccleſiaſticam*, quam eſſe *de jure divino* fides Catholica minime ſtatuit, ut rem omnino exploratam, defenderet, cur etiam ad defendendam *Conceptionis Intemeratae* ſententiam, *etſi de fide illa non ſit*, vita profundi non poterit? Haec Quirinius; cui doctiſſima Muratorius epiſtola oſtendit, non potuiſſe Thomam Cantuarienſem Regi Henrico obſecundare, quin grave crimen admitteret. Non enim ille jubebat, ut ſententiam de *Immunitate Eccleſiaſtica*, quae ſit *de jure divino*, minime Thomas defenderet, ſed ut optime conſtitutas infringeret Eccleſiae conſuetudines, & contra ſacrorum ſtatuta canonum ageret, quod certe ſine gravi crimine fieri non poterat. Similia vero ad *Votum Sanguinarium* defendendum afferri non poſſe. Placuit Muratorii reſponſio non modo Benedicto, qui jam per ſe Quirinio eadem fere in colloquio reſponderat, ſed ipſi etiam Cardinali. Accidit id anno MDCCXLIII. Alia, quae Muratorio ſunt objecta, calumnias alias & injurias, convicia etiam ab importunis hominibus illata praeſtat omittere, quam

in iis commemorandis, quae litteris ipſis dedecori eſſent, ſi ex litteratorum eſſent moribus aeſtimandae, verſari. Unum illud hoc loco moneo, ſententiam Ludovici Antonii *de Voto Sanguinario*, etſi non omnibus, at certe plurimis viris doctiſſimis, iiſdemque nullo partium ſtudio laborantibus, & cum ille inter vivos ageret, fuiſſe probatam & hodie probari; quamvis & illud equidem ultro fatear, contrariam quoque ſententiam, quae videlicet *Votum Sanguinarium* tuetur, dummodo rationibus, non malis artibus, argumentis, non conviciis, aliiſve defendatur injuriis, homine Catholico gravique Theologo nullo modo indignam videri. Equidem nihil moror, neque morabor in poſterum, quin in Muratorianam ſententiam pedibus eam. Levius dicerem, ſi fieri tamen poſſe, ut ego errem, faterer, cum ipſe Muratorius hac eadem in re falli potuerit. Sane Benedictus XIV., de cujus laudibus null aunquam obmuteſcet vetuſtas, controverſiam hanc ad accuratiſſimum examen revocat, rationes affert utriuſque partis, ac multa de

iis erudite diſceptat *. Ille quidem Muratorii opera *de moderatione Ingeniorum*, ac *de Superſtitione vitanda* non ſine laude commemorat; rem tamen ipſam in medio relinquit; neque ipſe, qui certe poterat, definire audet, an qui ſanguinem ad ſententiam, de qua ſaepe diximus, defendendam profunderet, inter *veros Martyres* recenſendus eſſet. Attamen paullo poſt ea ſubdit, quae Muratorianae opinionis fundamenta ſunt: *Tutam omnino dicimus in aliis caſibus regulam, ut moriens pro quaeſtione adhuc ab Eccleſia non definita non moriatur pro cauſſa, quae ad martyrium ſufficiat*. Haec etiam ideo commemoravi, ut contra Cavaleſium, de quo nuper dicebamus, alioſque Muratorii obtrectatores omnino conſtaret, quam longe Benedictus ab eius libris *de Voto Sanguinario* notandis abfuerit. Ii quidem obtrectatores cavillati ſunt, Benedictum eos libros innuere voluiſſe, cum ad Epiſcopum Terulenſem *Hiſpaniarum*, ut vocant, *Majorem Inquiſitorem* ſcri-

* *De Beatific. & Canon. Sanct. L. III. C. XIX.*

bens, ut eum commoneſaceret nonnulla opera Noriſiana minime damnanda ſuiſſe, haec ſubdidit inter cetera: *Notum denique tibi erit nomen Ludovici Antonii Muratorii adhuc viventis, multorumque librorum communi applauſu receptorum editoris. Oh quam multa reperiuntur in eis cenſura digna! Quot hujuſce furfuris nos ipſi eos legentes offendimus! Quot nobis ab aemulis & accuſatoribus oblata ſunt! Et nos uſque adhuc abſtinuimus & abſtinebimus ab ejus operum condemnatione, noſtrorum Praedeceſſorum exemplis edocti, qui pacis & concordiae amore a proſcribendis iis, quae proſcriptionem merebantur, ceſſarunt, quando videlicet cenſuerunt plus mali quam boni a proſcriptione derivandum.* Ceterum non modo ex iis, quae diximus, omnino conſtat, non eos libros eo loco reſpexiſſe Benedictum, ſed & ex luculentiſſimo ejuſdem Pontificis teſtimonio. Etenim Muratorius cum eodem an. MDCCXLVIII. quo datae ſunt eae litterae, de tota re certior factus eſſet, Benedicto modeſtiſſimam, ſed tamen ponderoſam inſcripſit epiſtolam, in qua infimis precibus contendebat, ut, quae tantopere Pontificium animum offen-

derant, ſibi indicarentur; ea nempe ratione futurum, ut a ſe corrigi poſſent. Humaniſſime reſpondit Benedictus: *temeritate Procuratoris Generalis Auguſtinienſium eſſe factum, ut ea epiſtola ad Epiſcopum Terulenſem in manus hominum perveniret. Procuratorem illum a ſe graviter objurgatum impudentiae poenas luere: ceterum nihil ſe voluiſſe verbis illis innuere, quod pertineret ad Eccleſiae dogma vel diſciplinam: nihil quantum ad ea capita in operibus eſſe Muratorianis proſcriptione dignum; ſed multa eſſe notanda, quae ſcilicet ad temporalem Eccleſiae dominationem pertinerent: ea quidem ſe ſe indicare voluiſſe; cum fieri vix poſſet, quominus ea virgam cenſoriam ac proſcriptionem effugerent, ſi eſſent in aliorum Auctorum libris: id factum non eſſe a Romanis Patribus contra Muratorium, quod omnibus eſſet ſatis perſpectum, quanti Pontifex ipſum faceret* *. Hactenus de motibus animorum & controverſiis per Muratorianum librum *de moderatione Ingeniorum* in Italia & Sicilia excitatis loquuti

* Epiſtolas Muratorii ad Summum Pontificem & hujus ad illum in Append. I. ad vit. Murat. Solius affert.

ſumus; nunc de tumultu fortaſſe graviore, qui praecipue contra librum eumdem, & ejus occaſione contra quoſdam alios Muratorianos, commotus eſt Salisburgi, verba nos facere, ipſa rerum ſeries ac ratio poſtulat. Salisburgi in urbe Germaniae ex florentiſſimis una, docti quidam homines in ſocietatem quamdam coiverant, quae coetus Academicorum in Italia vigentes ad litterarum incrementum ac decus imitabatur. Ii quidem librum de *Ingeniorum moderatione* miris quibuſdam efferre laudibus, atque optimae ſpei juvenibus commendare conſueverant. Adverſabantur iis hominibus Monachi ex Ordine Sancti Benedicti, qui nondum ſuperiorum aetatum barbariem exuerant, Scholaſticorum praejudicatis opinionibus occupati. Multo magis hi Monachi exarſerunt ita, cum Chriſtanus ex iis doctis hominibus, unus librum refutavit a Monacho neſcio quo compoſitum, ut probaret *Divum Rupertum Salisburgi primum Archiepiſcopum & ipſum fuiſſe Monachum*. Ut dolorem ſuum ulciſcerentur anno MDCCXL. de laudato Muratorii libro, ad quem ſcilicet in illa etiam controverſia

iidem docti homines provocabant, ut veriores ex eo artis criticae regulae ediſcerentur; nec non de ipſo Muratorio palam obloqui coeperunt. Fuerunt etiam qui contra graviſſimum virum innumerabiles in vulgus ſpargere calumnias inſtituerent. Inter has illa riſu excipienda eumdem caput auctoremque fuiſſe ſectae, quam nos Itali dicimus *dei liberi Muratori*, quamque ex Britannia in Galliam, & ex Gallia in Italiam, ut ferebatur, prolapſam Pontifices Romani damnaverant atque proſcripſerant. Ex illa nimirum ſimilitudine nominum nebulones calumniae anſam arripuerant. Ea quidem de re Benedictus XIV., qui mirum quemdam ac vere Atticum leporem cum ſumma morum gravitate componere noverat, cum Cardinali Tamburinio Muratorii ſtudioſiſſimo ſaepius facete luſit. At ex bonis illis Salisburgi civibus inveniebantur, qui Monachis crederent quidquid ii credi juberent. Iidem Monachi circumferebant *epiſtolam ab eo conſcriptam, qui a ſecretis erat Miniſtri Generalis Cappuccinorum*. Is autem in ea calumniabatur, librum *de moderatione Ingeniorum*, tametſi

nondum Romae proſcriptus fuiſſet, cum plura complecteretur a ſana doctrina non leviter abhorrentia, brevi proſcribendum eſſe. Neque vero e Cappuccinis iiſdem defuerunt qui privatis in colloquiis inſuſurrarent, & in ipſis concionibus perſuadere conarentur, novam haereſim Salisburgum invectam eſſe. Subinde contigit, ut juvenis quidam nobili genere natus, coram Salisburgenſis Lycei magiſtris, hoc eſt Benedictinis Monachis, de quibus diximus (ii enim Lyceum idem regunt) paullo audaciorem haberet *Orationem de neceſſitate ſtudia litterarum melius, quam fieret, inſtituendi*; & eodem fere tempore typis alia ederetur Oratio a Cecchetto docto viro *in obitu Praeſulis Harrachii* pronunciata, in qua de ipſa Salisburgenſi Academia parum honorifica fiebat mentio. Hinc animi multo magis exaſperati, & ea calumnia, quod haereſis nova Salisburgi gliſceret, cujus auctor fuiſſet Muratorius, longius etiam provecta. Tunc is, qui vices in ea Academia Cancellarii gerebat, typis *Orationem*, a ſe dudum in concione habitam, evulgavit, qua probare voluerat, *non bonum dun-*

taxat & utile, ſed etiam omnino neceſſarium
atque praeceptum eſſe Chriſtianis, Coelicolas,
maxime vero ſanctiſſimam Dei Genitricem, ve-
nerari atque invocare. In *animadverſione* au-
tem, quam ipſi appoſuit, Muratorii moni-
tum vituperabat in libro *de piis Exercitatio-*
bus juxta Segnerii rationem ab eo propoſitum:
Pietatem (vulgo *Devotionem* dicimus) erga
Divos, ac praecipue erga Deiparam eſſe utilem
atque laudabilem, non tamen omnino neceſſa-
riam, ut pietas eſt erga Dei Filium ſalutis no-
ſtrae reparatorem. Alia multa de his rebus
ab aliis etiam oratoribus in concionibus di-
cta ſunt, quae maximos in ipſo popello cie-
bant motus. Mulieres ipſae ac pueri, ne-
dum in circulis quibuſque viri de Murato-
rio, ejuſque opinionum pravitate obloque-
bantur, ac res eo devenerat, ut plebis ali-
qua ſeditio contra eos, qui Muratorio ſtu-
debant, brevi oritura eſſe videretur. Archie-
piſcopus, idemque, more Germanorum,
ſummam rerum omnium poteſtatem obtinens
Thunius, ut eos compeſceret motus, nihil
intentatum reliquit: *Orationis*, de qua dixi-
mus, exemplaria, quae nondum omnia *fue-*

rant edita, vulgari vetuit: ſacros animarum Paſtores admonuit, ut populum certiorem facerent, nihil de nova haereſi vel ſecta timendum: multa ipſe pro Muratorio dixit. Hujuſmodi tamen labor fruſtra ab eo ſuſcipi videbatur; quin & orator inventus eſt plenus inconſideratiſſimae ac dementiſſimae temeritatis, qui ſcilicet in concione die Deiparae in Coelos Aſſumptae ſacro, *neceſſitatem invocationis ejuſdem Beatae Virginis* coram ipſo Archiepiſcopo tueri non dubitaret. Cum de his omnibus a nobili viro Germano Mutina tranſeunte certior factus eſt Muratorius, ad *Rectorem* aut *Syndicum*, ut vocant, *Salisburgenſis Univerſitatis* illico litteras dedit, queis de injuriis ſibi illatis conquereretur, veramque ſuam doctrinam defenderet. Reſpondit ei *Syndicus* partim negans, partim imminuens, quae Muratorius ferebat aegrius, partim excuſationes praetexens, partim vero aperte confeſſus, praecipue quae ad librum *de moderatione Ingeniorum*, & ad alium *de piis Exercitationibus* pertinebant. Etenim quod ad alterum ſpectabat, Rector conquerebatur, *auctorem de Immaculata Dei Genitri-*

cis Conceptione ſentire tam viliter, ut eam inter leves cauſſas abjeciſſet: quod vero alterum reſpiciebat, nullo modo ferendum a Catholicis affirmabat, quod *Devotio ſive Invocatio Divini noſtri Salvatoris, non autem Deiparae ac Sanctorum neceſſaria homini Chriſtiano ad aeternam ſalutem eſſe* diceretur. Ad haec pro *Voto Sanguinario*, ad ſententiam de Beata Virgine ſine labe concepta omni tempore defendendam, ſeque ſuoſque ſtare affirmabat. Aliam dedit ad eum *epiſtolam* Muratorius, ut ſuos libros veramque tueretur doctrinam. Primum illud omnino eſſe commentitium facile oſtendit, cum potius Scotiſticae ſententiae ſectatores Pritanius non uno laudet in loco, neque ſe amplecti contrariam affirmet unquam, aut aliqua ratione indicet. Quod pertinet ad *Votum Sanguinarium* eadem affert quae in aliis libris; quamobrem non ea fuſius commemorabo. At de *neceſſitate colendae Beatiſſimae Virginis* verba faciens ita loquitur, ut equidem neſciam an clarius aliquid aut verius ab ullo Theologo poſſit afferri. Duo enim eſſe plane diverſa bonos illos Monachos docet; *Cultum* ſive honorem

Sanctis & praeſertim Sanctorum Reginae debitum, atque *Invocationem Deiparae*, aliorumque Coelitum. Ultro fatetur eſſe Catholicae Fidei doctrinam, honorem habendum Sanctis, eorumque Reliquiis atque Imaginibus, ac multo majorem ipſi Deiparae, quae tot ex capitibus omni Sanctorum ordini antecellit. Ad *Invocationem Deiparae & Sanctorum* quod attinet, Eccleſiae Catholicae dogma eſſe concedit contra Haereticos veteres recenteſque ſtatutum, non ſolum licere, ſed utile etiam ac bonum eſſe, eorum patrocinium apud Deum implorare. At Salisburgenſes reprehendit Monachos, quod *Cultum & Invocationem* ſimul jungentes, utriuſque *neceſſitatem* ad ſalutem tam confidenter atque animoſe praedicarent, & quidem e ſacro etiam ſuggeſtu ad indoctum populum verba facientes. Ea quae illi ſumerent, Eccleſiae Catholicae contraria videri ſubdit, neceſſariam ſufficientemque ad ſalutem eſſe ſtatuenti *Mediatoris noſtri Jeſu Chriſti Invocationem, ex quo omnia, per quem omnia. Neque huc*, inquit, *advocanda unquam erunt exorbitantia quaedam piorum hominum verba, quae ex affectus ſer-*

vore ipſis exciderunt; ſed ea, ut Theologum decet, emollienda, & ad ſaniores Theologiae leges temperanda ſunt. Haec etiam ea ratione fuſius affero, quod ſatis reſpondere plurimis videantur, quae poſt mortem quoque Muratorii contra ejus doctrinam, tum in iis quae jam commemoravimus, tum in aliis commemorandis operibus explicatam, allata ſunt ab hominibus fortaſſe piis, at non ſatis eruditis. Incredibile autem dictu eſt quot abſurda, cum ſapientiſſima Muratorii monita minime teneant, effundere illi ſoleant, quoties Deiparae vel Sanctorum laudationes ad populum habent, aut litteris etiam libelliſque conſignant. Etenim ab alicujus aut aliquorum etiam ex Sanctis Eccleſiae Patribus oratorio quodam more pronunciatis, tanquam a certiſſimis Catholicae doctrinae principiis, nonnullas conſecutiones eliciunt, quas videlicet horreat ſancta mater Eccleſia, Haeretici univerſi rideant, & ex iis eidem Eccleſiae detrectandi occaſionem rapiant. Ceterum Muratorius hac etiam in epiſtola illud fatetur, quod non dedeceat titulo *Mediatricis* ſub aliqua ratione ornare Deiparam.

Verumtamen cum in ea voce palmarem illi ſuorum errorum rationem eſſe poſitam exiſtimarent, graviter admonet, non id ita poſſe dici, ut ſine *Mediatrice* Chriſtus *Mediator* noſter apud Deum eſſe non poſſit *. Cum haec & alia, quae omittimus, Muratorius ad Salisburgenſium Monachorum Principem ſcripſiſſet, nihiloſecius ad ſanam mentem calumniatores, & odio & ſuperſtitione peſſimis conſultoribus extimulantibus, nondum redire voluerunt. Perlectis etiam litteris Muratorii ſycophantae de ipſo per totam civitatem obmurmurabant. E ſacris quoque ſuggeſtibus homines alii religioſis ordinibus addicti, qui antea ſiluerant, pro *neceſſitate invocandi Sanctos ac praecipue Deiparam*, non ſecus ac ſi de ſumma Religionis ageretur, pugnare coeperunt, quin & *Decanus*, ut vocant, *Theologicae Facultatis Salisburgenſis*, coram frequentibus auditoribus, quidquid in libro *de moderatione Ingeniorum* contra *Sanguinarium* illud *Votum* afferebatur, refutandum

* Duas Muratorii *epiſtolas* ad *Syndicum*, & unam hujus ad illum videre potes ap. Sol. *in Append. I. ad vit. Murat.*

ſuſcepit, eo etiam amentiae prolapſus, ut Muratorium *ſtulteſcentem auctorem ac temerarium* per ſummam injuriam appellaret. Tunc enimvero ponendum eſſe clementiae ac lenitati modum, neque haec amplius ſibi ferenda duxit ſapientiſſimus Thunius. Itaque & Monachum eum docendi munere privavit, ac publico cavit edicto, ne quis de controverſiis, quae Salisburgi fuerant excitatae, in poſterum loqueretur aut ſcriberet, jubens etiam omnes *de Invocatione Sanctorum* ea ſentire ac profiteri, quae Tridentinum Concilium ſanctiſſime conſtituerat. Poſt id de renovanda ſtudiorum ratione cogitavit, & *Univerſitatis Rectorem & Cancellarii gerentem vices* exauctoratos dimiſit. Ita Salisburgenſis Academia ſplendorem ſuum recuperavit clariſſimis viris, qui optimas excolerent diſciplinas ſub tanti Praeſulis ac Principis auſpiciis inſtructa. Neque vero is iniquo tulit animo, quod anno MDCCXLI. Coloniae libellus ederetur a Joanne Baptiſta Gaſpero exaratus, in quo & univerſa, quae Salisburgi acciderant, narrabantur, & vera *de Invocatione Sanctorum*, recitatis graviſſimo-

rum ex omnibus gentibus Theologorum teſtimoniis, doctrina propugnabatur *. Pertinent omnia, quae modo narravimus, ad Theologicum opus *de moderatione Ingeniorum*, quod alios conſcribendi libros occaſionem, aut potius neceſſitatem, adventante atque etiam urgente jam ſenectute, Muratorio detulit. Nunc, ad viridiorem ipſius aetatem revolvi nos oportet, ut de Theologicis aliis ejuſdem operibus, nihil ad illud pertinentibus, narrationem inſtituamus; qua quidem in re deinceps accuratiorem temporum rationem ſervare poterimus. Ac primo quidem commemorandus eſt liber *de Charitate Chriſtiana, quatenus eſt proximi amor*, vernaculo ſermone ſcriptus. Impreſſus eſt hic typis Mutinenſibus anno MDCCXXIII. quin & ſaepius alibi, & in Gallicum ſermonem a Vergyo docto pioque viro converſus. Huic libro *tres orationes* ſubjiciuntur eloquentiſſimi viri Franciſci Badiae, quae tum ſunt habitae Mutinae,

* Libelli titulus erat: ΑΔΕΙΣΙΔΑΙΜΟΝΟΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ *Vindiciae adverſus Sycophantas Juvavienſes*.

nae, cum Inſtitutum Societatis de qua verba fecimus, & ab ipſa caritate nomen etiam ac leges accepiſſe diximus, promulgatum eſt, quod quidem & hujus condendi libri occaſionem Muratorio ſuppeditavit. Cum ipſum magna diligentia compoſuiſſet, optavit etiam, ut Romae probaretur. Itaque Magiſter Sacri Palatii legit illum accurate, cumque nihil is afferre videretur homine Catholico non omnino dignum, facultatem ut imprimeretur typis, jam ſcripto conſignarat. Caſu accidit, ut homo, qui facultatem eam concedi pro Muratorio curabat, cum ſe ſe rus contuliſſet, ſcriptum illud a Magiſtro Sacri Palatii recipere diſtulerit. Interea tota res Fontaninio innotuit. Is igitur tanta contra Muratorium ei Magiſtro inſuſurravit, ut hunc omnino terruerit, & ad lacerandum idem ſcriptum adegerit. Allato ea de re ad Muratorium nuncio, curavit is, ut ab inſignibus Theologis perlegeretur atque approbaretur opus; quos inter fuit Vincentius Gottius ex Ordine Praedicatorum, mox ob inſignem doctrinam ſacro Collegio Cardinalium adſcriptus. Hunc autem eumdem librum

dicavit Carolo VI. Caeſari, a quo hanc ipſam ob rem anno MDCCXXVI. pretioſa imagine ſua, nec non torque aureo donatus eſt. Ut aliquid *de Jejunio* ſcriberet Muratorius, occaſio ſic enata eſt. Epiſcopus Fidentiae (vulgo Burgi S. Domnini) anno MDCCXXXVI. cum ab Apoſtolica Sede indultum fuiſſet, ut populum ſibi ſubjectum eo anno per quoſdam hebdomadae dies in *Quadrageſima* carnibus veſci concederet, eam tamen diſpenſationem ita largitus eſt, ut jejunium iiſdem diebus ſervari praeciperet. Aliqui non id Epiſcopo licuiſſe cauſabantur. Itaque Alexander Mantegazzius Placentinus *Diſſertationem* edidit eodem anno *de Jejunio cum eſu carnium conjungendo*, ut quod Epiſcopus egerat, recte actum eſſe defenderet. Rogatus eſt Muratorius, ut quid ea de re ſentiret, ſignificare vellet. Ideo longam is Latinam *epiſtolam* Mantegazzio inſcripſit, qua *potuiſſe Epiſcopum ea praecipere, & cum eſu carnium jejunium poſſe conjungi*, ſatis apte demonſtravit. Interea contra Mantegazzium *Diatribam* emiſit Doctor quidam Petrus Cappellottius. Ille quo ſe ſe defenderet librum

edidit anno MDCCXXXVII. cui fuſiſſimam illam Muratorii praefixit epiſtolam, qua quidem de re noſter cum Mantegazzio leviter conqueſtus eſt. Quanquam enim ea utendi poteſtatem fecerat, ſi fuiſſet opus, Mantegazzio, non tamen hac in controverſia primas partes agere voluiſſet. Hic etiam liber oppugnatus fuit, cum anno MDCCXXXIX. prodierit ſine Auctoris nomine *Diſſertatio* in ipſum, quae *Theologica-Moralis-Critica* inſcribebatur. Eidem *Reſponſio* fuerat praefixa *contra Muratorii judicium*. Hujus opuſculi auctorem fuiſſe Herculem Montium Mutinenſem e S. J. ſatis compertum ſibi ſcribit Solius. Montio Muratorius minime reſpondit, ſed pro Muratorio ſatis ſuperque reſpondit Daniel Concina, homo non tam doctrina, etſi doctus ille quidem erat, quam magnis inimicitiis hac aetate nobilitatus. Verumtamen eum hac in re optimae cauſſae ſuſcepiſſe patrocinium, quis tandem, dummodo veritatis, quam hominum ſtudioſior eſſe velit, inficias ierit *? Sane, ut omittam hac in cauſ-

Y 2

* Vide *Cap. II. della Quareſima Appellante*. Vi-

ſa Montium, non ita magnae doctrinae hominem id auſum eſſe, ut Muratorii, quem omnino ſuſpicere debuiſſet atque vereri, eruditionem ipſam illiberalibus quibuſdam jocis doctrinamque contemneret, certe, quod caput controverſiae debuerat eſſe, *Jejunium cum eſu carnium poſſe conjungi*, poſt Benedicti XIV. ſapientiſſimas epiſtolas atque *Conſtitutiones*, univerſi, quod equidem ſciam, temporibus hiſce Theologi confitentur. Rationes autem, quibus adverſarii nitebantur, futiles omnino fuiſſe, & ex earum genere, quas *laxas* appellant, ex tanti Pontificis iiſdem decretis apparet. Poſt haec Muratorius librum edidit adverſus Thomam Burnetum Anglum, qui *de Statu Mortuorum & Reſurgentium* ita ſcripſerat, ut aſſereret Juſtis aeternae beatitatis coronam ad diem uſque *finalis*, quod vocamus, *judicii* differri. Cum id & Catholicae doctrinae refragaretur, & theologicam ſpei virtutem non leviter in Chriſtianis labefactaret, eum ſibi convincendum ſumpſit

de etiam *la Diſſertazione Apologetica* in fine Voluminis II. *della Storia del Probabiliſmo*; quae nimirum hiſtoria ab ipſo Concina conſcripta eſt.

Muratorius anno MDCCXXXIV. librumque adverſus eum compoſuit, cui titulus: *De Paradiſo Regnique coeleſtis Gloria, non expectata corporum reſurrectione, Juſtis a Deo conlata adverſus Thomae. Burneti Britanni librum de ſtatu mortuorum &c.* Hunc librum intra tres menſes abſolvit, ex eoque conjici poteſt quantum auctor verſatus eſſet tum in divinarum Scripturarum, tum in SS. Patrum lectione, ex quibus plura collegit, quae ad fovendam ſpei, quam dicebamus, virtutem pertinent; ſed totius operis ſcopus eſt, ut probet juſtis hominibus, dummodo, quae purgentur omnino, criminibus aut levioribus culpis minime premantur, plenam, quam Deus pollicitus eſt ſuis, beatitatem illico poſt corporis interitum in coeleſti regno conferri. Opus hoc evulgari typis Londini cupierat, quo certius haereſi in ea regione graſſanti medicamentum afferret. Id fieri poſſe Michael Maittaireius affirmabat, qui, licet eſſet e Proteſtantium numero, colebat maxime Muratorium ac ſuſpiciebat, eique operam ſuam ad illam rem pollicebatur. Sed deſtitit poſtea ab hac mente, ex quo ſactum eſt, ut liber

non ante annum MDCCXXXVIII. Veronae imprimentur. Inter Muratorii ſcripta de rebus Theologicis memoratur *epiſtola de Communione in Miſſa* ad Comitem Ferdinandum Scottium VI. Id. Septembris an. MDCCXLIII. data, quae ſimul cum aliis epiſtolis ad idem facientibus argumentum, tacito tamen urbis, in qua ſunt editae, nomine lucem vidit. Graviſſima controverſia, quae de re non levis momenti excitata, Luſitanorum praecipue ſacrorum Antiſtitum turbaverat animos, novo Muratorii libro occaſionem praebuit. Anno MDCCXLV. per Luſitaniam rumor increbuit, Sacerdotes quoſdam, cum *ſacras* Chriſtianorum *confeſſiones* exaudirent, ab iiſdem, quinam fuiſſent criminum complices, percunctari conſueſſe; nec non, qui parere nollent, a criminibus iiſdem abſolutos minime dimittere. Iis addebatur, eoſdem Sacerdotes ea notitia penes Regem uti, quo alios perditis moribus Sacerdotes, aut alios quoſvis homines, ut aliorum integritatem atque innocentiam vitae corrumperent, adlaborantes, poenis affici curarent atque coerceri. Ea fama permoti Cardinalis Alm[illegible]da

Patriarcha Ulyſſipponenſis, & Cardinalis Acugna Inquiſitor in eo Regno Generalis, ut gliſcenti, quod opinabantur, malo occurrerent, publica edicta propoſuerunt. At hic alter ultra, quam par fuerat, ſine dubio progreſſus, edicto ſuo imperavit, ut, quotquot ea ratione fuiſſent a Sacerdotibus in *Poenitentiae Sacramento* interrogati, vel de aliis criminum adjunctis (*circumſtantias* vulgo dicimus) haud manifeſtandis interpellati, eorum nomina ad terribile illud *Sanctae Inquiſitionis* appellatione conſpicuum tribunal deferrent. Inquiſitoris judicium adeo praeceps ceteris totius Regni Archiepiſcopis & Epiſcopis non diſplicere non potuit. Primo quidem rumorem, de quo diximus, *omni Sacerdotum Ordini ſummopere injurioſum eſſe, neque veritate ullo modo niti* dicebant: deinde *ſuam ipſorum auctoritatem ac juriſdictionem* per illud edictum laeſam videri: poſtremo *nimis grave*, nullaque ratione ferendum ab *Inquiſitore onus Chriſtianorum imponi cervicibus*. Itaque cum non levis inter ſacros populorum Paſtores eſſe lis exorta videretur, res ut diſceptaretur ad Benedictum XIV. Romanum Pontificem delata

eſt. Hic Epiſcopis contra Inquiſitorem duabus *Conſtitutionibus* adjudicavit cauſſam, tam grave onus idemque minime neceſſarium, Chriſtifidelibus imponi vetans. Cum tamen controverſia nondum ſatis compoſita videretur, vir neſcio quis maximae auctoritatis Muratorium rogavit, ut aliquid ad Epiſcoporum Luſitaniae ac Pontificis Romani ſententiam defendendam litteris mandaret. Praeſtitit id noſter opere Latino Mutinenſibus typis in lucem edito anno MDCCXLVII. quod inſcribitur: *Luſitanae Eccleſiae Religio in adminiſtrando Poenitentiae Sacramento*. In eo demonſtrat *naturali juri adverſari*, ideoque *prorſus e medio tollendam eſſe novitatem*, quam praepoſterum pietatis religioniſque ſtudium invehendam cenſuerat. Pontificium vero Decretum non modo laudat, ſed & ab iis vindicat ratiunculis, quibus impetebatur. Cum liber hic in Luſitaniam perlatus eſt, ſimul nunciatum eſt ab Equite Ludovico Antonio Vernejo Luſitano Romae commorante fuiſſe conſcriptum. Cum in illo Regno plures a duobus illis Cardinalibus contra Epiſcopos in ea cauſſa ſtarent, incredibile di-

ctu eſt, quantae fuerint in ipſum turbae excitatae. Et Cardinales nimirum & alii *Sacrae Inquiſitionis* Miniſtri Vernejum *haereticum*, quod tantis, credo, judicibus nulli errori obnoxiis adverſaretur, appellare minime verebantur. Crevit in Vernejum invidia, quod auctor etiam in Luſitania creditus eſt alterius libri *de Methodo ſtudendi ſingulis diſciplinis ad intellectum Luſitanorum accommodata*; quem quidem librum, id jure ſine dubio mireris, doctiſſimus neſcio quis Cappuccinus elucubratus fuerat. Quamobrem Muratorius his de rebus certior factus anno MDCCXLIX. XV. kalendas Aprilis Mutinae dedit *ad Vernejum Latinam epiſtolam* * ut eum utroque crimine liberaret. Sed e Luſitanis ipſis minime defuerunt, qui *librum de Luſitanae Eccleſiae Religione* Muratorii, cujus gerebat nomen, eſſe revera foetum agnoſcerent. Inter eos fuit Dionyſius Bernardes de Moraes, qui ſtatim librum componere contra illum aggreſſus eſt. Vix eum abſolverat, cum diem ſupremum obiit. Im-

* Vid. apud Solium in Append. I.

preſſus tamen is eſt typis Ulyſſiponenſibus anno MDCCXLVIII. Sed ne Muratorius quidem hunc librum vidit; cum & ipſe, antequam eumdem Ulyſſipone ſibi miſſum acciperet, fato functus fuerit. His de cauſſis, cum ad Muratorii vitam proprie non ſpectet, mihi equidem temperabo, nec quae convicia, quas contumelias in ſapientiſſimum ſenem conjecerit, cum & ejus librum *de Moderatione Ingeniorum*, & ſententiam *de Voto Sanguinario*, & hoc praecipue, de quo modo loquimur, opus exagitandum ſibi ſuſcepiſſet, fuſius hoc loco memorabo. Fingit enim Scriptor inverecundus, idemque & Dialecticae & Theologiae, & ceterarum artium libero homine dignarum expers a Muratorio pravam opinionem defendi, *quod liceat complicis nomen in Poenitentiae Sacramento exquirere*; quamvis hic diſertiſſimis verbis non uno quidem in loco prorſus contrarium aſſeruerit. Hinc ea ſcribit, quae neſcio equidem, an ſobrius in Italia unus, ex iis ſaltem, qui vera germanaque doctrina excoluerint animum, non dicam ſcribere, aut ab alio ſcripta probare, ſed omnino legere

patienter, ac ſine ſtomacho poſſit. Sufficiat hic ex iis pauca deſcribere, quae de illo libro litteris mandavit vir religioſiſſimus Andreas Gallandius ſub Grandorgei (quod diximus) nomine deliteſcens *in praefatione* ad opus Muratorianum *de Moderatione Ingeniorum*: *ubique livorem ſpirat, ubique inſcitiam ſuam prodit, adeo dicacitatis atque ignorantiae plena ſunt omnia.... Peream, ſi legi quidpiam nigriori ſtylo exaratum. Meus animus fuit* (inquit pag. 588.) *neminem offendere, ſolumque Muratorio parcere non ſtudui. Hominis os! Audiſtin improbum petulansque conſilium? Ecquis porro aequo animo ferat iſta effutire audentem? Nimius ſim, ſi quod ſentio ſcriptis pluribus perſequi velim. Ergo faceſſat a me iſtiuſmodi liber* *. *Amariorem enim me lectio facit, ſtomachor omnia.* Eodem anno MDCCXLVII.

* Quam ridiculam hic Auctor teneat ſcribendi rationem ſatis apparebit, ſi tantummodo ipſum titulum operis hic exſcribam: *Coruſcationes Dogmaticae univerſo orbi terrae pro recta Sacramenti Poenitentiae adminiſtratione refulgentes, in varios diſtributae radios, quibus noxia praxis detegendi Complices deſtruitur, atque variae Propoſitiones tum Morini tum Muratorii diſſipantur.*

librum edidit Muratorius Venetiis mole quidem exiguum, at vel propter optimam, quam tuetur, doctrinam, vel propter atroces, quibus impetitus eſt, adverſariorum calumnias (quid enim res non ſuis appellem nominibus?) unum ex operibus Muratorii celeberrimis. Inſcribitur autem *de recta hominis Chriſtiani pietate ſive devotione*. Lamindi Pritanii nomen & iſte praefert, & Italica lingua conſcriptus eſt. Rurſus autem bis editus eſt Venetiis, totidemque Neapoli, ut de aliis editionibus Italicis ſileam. Idem ab Hoffmannio Germanicam in linguam converſus Moguntiae, nec non quater Vindobonae typis impreſſus eſt, ac demum iterum Vindobonae praelum ſubiit, cum a Bernardo Lama, qui a Latinis erat epiſtolis Imperatricis Mariae Thereſiae ſemper Auguſtae, Latinitate donatus eſſet. In hoc opere ſibi ſcriptor proponit, ut, quae vera ſit pietas homine Catholico digna, & quibus potiſſimum in rebus ab ea diſtinguatur, quae tantum virtutis habet ſpeciem, nec ſatis a ſuperſtitione ſecernitur, ac proinde omnino commentitia dicenda eſt, optima in luce collocet. Mihi quidem videtur Au-

ctor praeceptum Concilii IV. Provincialis a Divo Carolo Borromaeo celebrati tenere diligenter: *Quantum in Religione ſtabilienda laboris ponendum eſt, tantum in ſuperſtitione ex hominum animis evellenda curae & diligentiae eſt impendendum.* Non omnia potuit dicere, quae dicenda ac monenda ipſi videbantur: quae tamen dixit, hujuſmodi ſunt, ut fere totidem in hoc eſſe libello aurea praecepta quot verba (fremant, per me licet, omnes ejuſdem obtrectatores) non modo mihi, qui facile decipi poſſum, ſed etiam viris & rerum ſcientia & vera pietate praeſtantibus videatur. Illud enim praecipue Chriſtianis Catholicis in memoriam revocat, quam neceſſaria ſit in Jeſum Chriſtum, qui *Mediator eſt inter Deum & homines*, pietas; & quanta injuria haec ab iis negligatur, qui tantillum *de cultu Sanctorum reliquiis aut imaginibus praeſtando* omittere, aut *de certis* quibuſdam *ad Beatiſſimam Virginem precibus* detrahere magnae ſibi religioni ducerent. Catholicam vero *de Cultu & Invocatione Sanctorum* doctrinam, ſi quis alius, vindicat, atque ita declarat, ut Proteſtantes, quibus imprudentes

quidam Catholici libellis anili ſuperſtitione pleniſſimis anſam reprehendendi, ac, ſi Superis placet, illudendi Eccleſiam praebuere, hoc libro facile convinci, ac, ſi velint, ad ſanam mentem redire poſſint. Ut exemplum aliquod proferam, nihil homine Catholico veriſque doctrinis exculto dignius proponi potuit, quam duae θεσεις poſt Muratorii mortem ab aliquibus Jeſuitis, fortaſſe non ſatis eaſdem intelligentibus, oppugnatae. Altera eſt: *peccatorum noſtrorum veniam a Deo poſtulandam eſſe & a Deo ſperandam, quia ipſe ſolummodo, non autem Sanctus aliquis poteſt a peccatis abſolvere*: quo loco nihil meminiſſe neceſſe eſt, quod Muratorius ſexcenties etiam hoc in libro fatetur, *Sanctos a nobis tum pie, tum utiliter exorari*, ut ipſi pro nobis a Deo vel ipſam noſtrorum criminum veniam impetrent. Altera propoſitio eſt; *Gratias, quas dicimus, ac Miracula fieri a ſolo Deo per nos aut pro nobis per Sanctos exorato*. Sane qui propoſitionibus hujuſmodi contradicat, anicularum, non Theologorum aut Eccleſiae ſententias novit. Multa quidem habet Auctor in eos, qui ſtudio colendae Beatae Vir-

ginis incenſi neſciunt intra fines a vera pietate ac religione definitos conſiſtere. Ea quidam homines ex eorum numero, quos devotos dicimus (utinam ex iis multi non aliquando veteres illos Phariſaeos imitarentur!) acrius inſectati ſunt, nec modo reprehenſione, ſed conviciis & contumeliis,, nimirum ſanctis, nimirum piis, nimirum Deo ac Deiparae gratis acceptiſque, proſequi conſueverunt. At ea ſi quis ex rationis religioniſque regulis dijudicare velit, non aliam videbit referre doctrinam, quam illam Dionyſii Petavii a Catholicis omnibus jamdiu probatam ac collaudatam: *Illud monere omnes audebo Cultores & Laudatores Virginis Sanctae, ut ne pietati ac devotioni ſuae nimium indulgeant, & ut veris contentis ſolidiſque praeconiis ficta & commentitia repudient, quorum vel nullus poſſit, vel non idoneus Auctor afferri. Quod genus latentis, & inſitae cordibus humanis, ut Auguſtinus ait, Idolatriae multum abhorret ab Theologiae, hoc eſt coeleſtis ſapientiae, gravitate; quam quidem nihil ſentire aut aſſeverare par eſt, niſi quod ad certam & exquiſitam regulam ſit exactum.* His quidem Petavii verbis

non abutitur Muratorius, ut non nemo ſcribere non dubitavit, ſed ad ea perpetuo videtur in hoc libro reſpicere, nec latum quidem unguem ab eis diſcedere. Omnino quoque falſum eſt, Muratorium quaedam hoc in opere arguere, ac more haereticorum, praecipue Joannis Clerici, ridere ſigna pietatis, quibus uti Catholici conſueverunt. Nolo mihi lectorem credere; breve opuſculum ipſe pervolvat; nihil hujuſmodi inveniet. Muratorius quidem *de ſacris Numiſmatibus*, *de Agnis Dei*, *de Sanctorum Imaginibus*, de iis, quibus *Carmelitae* aut *Dominicani* fidelium pietatem fovere ſolent, *de ſacris* ipſis *parvis Veſtibus*, de iis, quae *Scapulis* imponuntur, *Funiculis*, *Coronis*, nec non de *Sodalitiis*, aliiſque ſimilibus loquitur. At haec diſertis verbis ait eſſe *non modo licita*, *ſed etiam laudabilia*, quatenus videlicet ab Eccleſia probata ſunt, & ad alendam, quam diximus, praecipue populi non ſatis eruditi pietatem mirifice conferre poſſunt. Juriaeum & alios Calvini aſſeclas ille reprehendit, qui ſcilicet eas Eccleſiae conſuetudines cachinnis excipiunt.

Quid

Quid igitur ſibi vult Muratorius? Ut quiſque ſit in iis finibus,

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quae cum ita ſint; eos equidem Sacerdotes ſacris etiam familiis addictos, ac nominatim quosdam Jeſuitas laudare non poſſum, qui tantopere de hoc aureo libello, inter vivos etiam agente Muratorio, neſcio qua de cauſſa; obloqui voluerunt. Et eos quidem Jeſuitas in auctorem, a quo Societas non modo laudata, ſed & defenſa fuerat, ingratos extitiſſe, gravibus nonnullis hominibus ea de re conqueſtis, non aſſentiri non poſſum. Verumtamen alio etiam ex capite hic idem liber Muratorium carpendi occaſionem praebuit. Etenim ea, quae afferebat Cap. XXI. ad commendandum ac defendendum Benedicti XIV. S. P. conſilium de diebus feſtis diminuendis celeberrimo Cardinali Quirinio admodum diſplicuerunt. Id ſane mirum videri debuit Muratorio. Etenim totam hanc de feſtis diebus minuendis tractationem, quod non poterat ignorare Quirinius, non ipſe ſua ſponte ſuſceperat, ſed ut Benedi-

ɩcto XIV. pareret, mentem ſuam aperuerat. Benedictus quidem anno MDCCXLII. ſcriptum evulgavit, quo faciliorem Epiſcopis feſtorum dierum imminutionem efficeret; ſcripti autem ejus exemplum ad Muratorium deferri voluit, eidemque per Cardinalem Tamburinium ſignificari, ſibi fore gratiſſimum, ſi, quid ipſe de rebus iis opinaretur, ediſſeret. Sententiam illico ſuam litteris mandaverat Muratorius, ac per eumdem Tamburinium Benedicto ſcriptum idem tranſmiſerat. Tamburinius autem cum mandata feciſſet, Muratorio reſcripſit Pontificem extemplo tum ſcriptum legiſſe, tum in ejus & auctoris ipſius, quem *magnum ac bonum* vocavit *virum*, laudem plura ſecum eſſe loquutum. Addebat etiam Pontificem tunc imperaſſe, ut Muratorio ſuis verbis ſalutem diceret, ipſique ſignificaret, *ſcriptum illud Cynoſuram ſibi fore in iis omnibus, quae de feſtis diebus imminuendis eſſet conſtituturus*. Sed & ad Quirinium anno MDCCXLII. ſcripſerat Muratorius, ut conſilium Pontificis de diebus feſtis imminuendis ipſe Cardinalis promoveret ad pauperum utilitatem. Cardinalis autem ea de

re cum ipſo Pontifice collocutus fuerat, Muratorii ſententias expoſuerat atque rationes; ac demum per litteras & ipſe a Muratorio quaeſierat, ut fuſius etiam de hac tota re quidquid opinaretur litteris conſignaret. At enim Cardinalis Quirinii animus eo tempore, quo Muratorii liber, de quo modo loquimur, imprimebatur, omnino commutatus erat. Nam contra Alexandrum Borgiam Firmanum Archiepiſcopum, qui ante alios veniam a Summo Pontifice pro diebus feſtis minuendis obtinuerat, multa conſcripſerat; quibus etiam Praeſul ille reſponderat, atque hinc nonnullae ex utraque parte epiſtolae typis impreſſae fuerant. Itaque Cardinalis Quirinius, perlecto Muratorii libro, *epiſtolam* edidit *Abbati Diſentiſio* inſcriptam, qua rationes capite, quod jam diximus, a Muratorio propoſitas confutaret. Reſpondit Cardinali Muratorius libello, qui anno MDCCXLVIII. typis editus eſt Lucae cum libellis aliis ad hanc controverſiam pertinentibus *. Antequam il-

* Titulus erat: *Difeſa di quanto ha ſcritto Lamin-*

lum ederet Muratorius, Pontificem Benedictum nomine ſuo rogari curavit, ut omnium Epiſcoporum & Catholicorum Collegiorum elenchus ſibi mitteretur, qui Feſtorum imminutionem ab Apoſtolica Sede petiviſſent, ac deinceps illud etiam, ut ſibi libellum eumdem publici juris facere liceret. Utrumque ſtatim a Benedicto obtinuit. Elenchum vero illum ad calcem novi libelli Muratorius appoſuit. Hic etiam libellus Cardinalem vehementer offendit quamvis admodum juſta de cauſſa Muratorius pro pauperibus pugnare videretur. Putabat Quirinius, eam controverſiam non ad *Eccleſiaſticam* tantummodo *diſciplinam*, ſed ad ipſum quoque δογμα pertinere. Hinc eos, qui Feſtorum imminutionem eſſe concedendam arbitrabantur, in eum errorem nolentes delabi putabat, ut Pontifices & Eccleſiam Catholicam in iis inſtituendis peccaſſe ſtatuerent. Itaque eodem

da Pritanio in favore della diminuzione delle troppe feſte. Extat in *Collectione*, quae inſcribitur: *Raccolta di Scritture concernenti la diminuzion delle Feſte di precetto*.

anno MDCCXLVIII. longam edidit *epiſtolam ad Italiae Epiſcopos univerſos*, qua Pritanii rationes confutandas evellendaſque ſuſcepit. Hac etiam vice Muratorius minime ſibi tacendum duxit, eodemque anno, cum apud Marchionem Ludovicum Coccapanium ruſticaretur, *Reſponſionem* aliam elucubratus eſt, qua Cardinalis argumenta diluit, addito pro pauperibus, ipſorumque nomine ad eoſdem Italiae Epiſcopos libello ſupplici. Haec tamen altera ad Quirinium *Reſponſio* publici juris eo tempore minime fieri potuit, quod cum eam auctor miſiſſet Romam, ut, ſiquid diſpliceret, corrigeretur, XVIII. kal. Decembris eodem anno MDCCXLVIII. Summus Pontifex Benedictus XIV. ea de controverſia utrique parti ſilentium impoſuit, Eccleſiaſticas etiam cenſuras iis, qui minime parerent, comminatus. Eodem tamen decreto Pontifex controverſiam ipſam non ad *dogma*, quod volebat Quirinius, verum ad *diſciplinam* dumtaxat, quod Muratorius probaverat, pertinere edixit. Ex eo etiam tempore plures Epiſcopi, quin & integra regna *Pontificium Decretum pro Feſtorum dierum imminutione* petive-

runt, atque obtinuerunt, ut hoc etiam ex capite Muratorio contra Quirinium adjudicata lis eſſe videatur. Verumtamen poſt indictum quoque ſilentium Quirinius in id adlaboravit, ut edita typis Lucenſibus Muratorii Defenſio Romae proſcriberetur. Etenim cauſabatur, Auctorem damnare Feſtorum multiplicitatem a Summis inductam Pontificibus, ac verbis uti, quae contemptum aliquem Eccleſiaſticae ſignificarent auctoritatis. At id fruſtra tentavit. Integerrimi enim ac maxime pii ſenſus quique illius libelli deprehenſi ſunt. Poſtea Quirinius in id curam omnem animumque convertit, ut ſimultatibus univerſis de medio ſublatis, vetus amicitia & familiaritas, quae Muratorio cum ipſo interceſſerat, omnino renovaretur. Tentavit id per Franciſcum Rotam Abbatem ex Ordine S. Benedicti Venetiis graviſſimum virum, qui negotium totum per epiſtolam cum Muratorio facillime confecit. Hinc Muratorii ad Rotam, & ad ipſum Muratorium Quirinii litterae leguntur apud Solium officii humanitatiſque pleniſſimae. Ea vero doctiſſimorum hominum amicitia feliciter inſtau-

ta egregiis officiis, & amoris atque exiſtimationis omni ſignificatione per annos, qui conſequuti ſunt, exculta fuit. Jam vero Muratorii liber de recta Devotione, non amplius ad mortem illius fuit acriter exagitatus. Poſtquam ea contigit, incredibile dictu eſt, quot in eum tragoediae excitatae fuerint. Pepius Jesuita, vir magnae apud plebem Neapolitanam auctoritatis, ita de libro & auctore loquutus eſt e ſacro ſuggeſtu, ut ſtomachum univerſis cordatis hominibus in ea civitate moverit. Auctorem ejus libri *ſine Sacramentis Eccleſiae mortuum eſſe, haereticum, aeternis poenis addictum*, opus vero *haereſibus plenum*, ſi pluribus ejus auditoribus habeatur fides, ad populum verba faciens ille praedicavit. At quoniam id falſo fuiſſe nunciatum ipſe Franciſcus Pepius datis ad Solium litteris conqueſtus eſt, quas quidem litteras in Aretina commemorata ſaepius a nobis editione Solius ipſe religioſe recitat, etſi non admodum eis fidere ſe ſe demonſtret; nihil in ea re nos immorari neceſſe eſt; praeſertim cum in iiſdem litteris Pepius de Muratorii eximia pietate ſingularique vir-

tute magnifice loqui ac ſentire videatur. At certe Pepius (neque id aliquis negare audeat) *temerarias*, vel *haereſibus affines*, *falſaſque propoſitiones* proprio marte per ſummam, ut levius dicam, amentiam excogitatas, eique libro tributas, acerbiſſimis confutare verbis in ſuis ad populum orationibus inſtitit; neque vero antea furere deſtitit, quam ejus, cui parere cogebatur, auctoritate ad ſilentium adactus eſt. Narrant tamen ita tacuiſſe, ut ex eodem ſuggeſtu, *denique ad extremum ſibi Diaboli filios, ne quid amplius de illo libro loqueretur, os obſtruxiſſe* diceret. At Benedictus Plazza, & Salvator Mauricius ex eadem Societate homines libris quoque editis * contra Muratorii doctrinam pugnarunt,

* Plazzae liber eſt: *Chriſtianorum in Sanctos Sanctorumque Reginam, eorumque Feſta, Imagines, & Reliquias communis & propenſa Devotio a praepoſtera Lamindi Pritanii Reformatione venerandae potiſſimum antiquitatis monumentis & documentis vindicata ſimul & illuſtrata*: Editus eſt hic liber anno MDCCLI. Anno autem MDCCLIII. prodiit Mauricii liber, cui titulus. *La Divozione dei Criſtiani difeſa dalla Critica di Lamindo Pritanio Dialoghi compilati da Salvatore Maurici della Compagnia di Gesù*: Hic auctor omnia fere, quae profert, e Plazzae libro mutuatus eſt.

quibus etiam plures Ordinum aliorum homines, praeter Jeſuitas non ita paucos, adſtipulati ſunt, ille praeſertim, de quo loquuti ſumus, Carmelita, qui ſub Joſephi Antonii de Vera nomine deliteſcens infame illud opus ex tot contumeliis mendaciiſque conſutum contra Muratorium exaravit. Magnarum ii libri turbarum inter homines litteris deditos occaſiones extitere, de quibus me multa ſcribere nihil neceſſe eſt, quod cum contigerint poſt Muratorii obitum, ad ejus vitam, quam ſuſcepi deſcribendam, proprie non ſpectent. Aliquid idcirco dico, quod & de libris ejus, ipſorumque librorum fortuna nonnihil dicere inſtitui. Illud certe veritati me debere quodammodo ſentio, ut clarius etiam apertiuſque ſignificem, quantopere Benedicti Plazzae liber, etſi doctiſſimum aliquem Jeſuitam habuerit laudatorem atque patronum, mihi diſpliceat. Equidem cum quovis homine quovis ſacramento contenderem, ne unam quidem ex temerariis aut audacioribus propoſitionibus a Plazza Muratorio tributis, atque hinc oppugnatis in

ipſo Muratorii libro inveniri. Aerem verberat Plazza ſcribens in aureum illud opuſculum, aut fingit potius hoſtem, quem feriat. Etenim fervidus hic Siculus eo ſe ſe furoris abripi ſinit, ut & *Janſeniſtam & haereticum in poſtremis ſeptem libri capitibus auctorem noſtrum videri*, velit oſtendere. Paullo moderatior eſt Mauricius: & ipſe tamen eo ſaepius proclivis eſt, ut, quae Muratorius catholicam in ſententiam ſcripſit, ipſe in deteriorem partem accipiat, atque ita virgam cenſoriam in eum exerendi occaſionem non tam ſumit, quam ipſe creat. Hi clamores fortaſſe effecerunt, ut Benedictus XIV. Muratorii librum ab iis, quorum hujuſmodi munus eſt, ad examen vocari juſſerit. Cunctis ſuffragiis judicatum eſt, nullam illi poſſe vel leviſſimam notam cenſoriam inuri. Rationem autem hujus rei Ricchinius, qui tum *Indicis*, ut vocant, *a Secretis* erat, eam fuiſſe, Criſtophoro Migazzio Vindobonae Archiepiſcopo ſcripſit, *quod illa, quibus auctor adverſatur, quaeque criminationibus locum dederant, eſſent vel certae manifeſtaeque ſacrarum rerum depravationes, vel inſipientes ad ſuperſtitionem*

caeteroqui pronioris popelli Opiniones, quas Catholica Eccleſia numquam probavit. Hoc teſtimonio uſus eſt optime Migazzius idem ad Muratorii librum contra Jeſuitarum quorumdam, ac praecipue Schezii, criminationes defendendum. Hic enim in *Conſeſſu Regio*, ſic enim dicitur, *Cenſurae librorum pro tota domus Auſtriacae ditione* magnopere conqueſtus fuerat, quosdam Jeſuitarum libros integerrimae doctrinae ab eo *Conſeſſu* fuiſſe proſcriptos, cum liber Muratorii *de recta hominum Chriſtianorum devotione*, multa continens perniciem animabus allatura, eſſet in manibus hominum, nec quiſquam de illo notando cogitaret. Iis quidem verbis Migazzius ſenſerat, ſe potiſſimum peti. Etenim is non modo laudaverat librum, ſed & Auguſtae Mariae Thereſiae ac filiabus ipſius lectionem ejuſdem commendaverat. Itaque per Simeonem Stockium ex ejus *Conſeſſus* Theologis unum Schezio indici curaverat, ut pronunciati ſui rationem intra tres hebdomadas produceret, &, quid in Muratorii libro non ſatis homine Catholico dignum eſſet, oſtenderet. Conditionem Schezius accepit. Verum-

tamen, quae poſt dies quindecim ad eum *Confeſſum* attulit, tam infirma graviſſimi viri deprehenderunt, ut omnium ſuffragiis iterum Muratorius fuerit abſolutus. Accidit id anno MDCCLIX. Migazzius poſtmodum ad eum *Confeſſum* litteras Ricchinii miſit, ac *Monitum* vel *Germanae* vel *Latinae Muratoriani Operis Interpretationi* praefigi curavit, quo de Romanorum Patrum judicio omnes edocerentur. Ea ratione turbae quieverunt, quae Viennae fuerant a quibuſdam, praeſertim Jeſuitis, contra aureum, de quo loquimur, Muratorii opuſculum excitatae. Aliquid hoc loco etiam contra Conſtantinum Rotignyum ex Caſſinenſibus Monachis dici oporteret, qui volumine Venetiis edito an. MDCCLI. * magnam voluit invidiam creare Muratorio, quod is Molinae doctrinam *de Gratia Dei* in eodem illo opuſculo ſequi viſus fuerit. Sed Rotignyo ſatis reſpondet Maffejus non ſemel honoris cauſſa in Muratorii vita nomi-

* Titulus eſt: *Trattato della Confidenza Criſtiana* ſub nomine Alethophili Sacerdotis.

nandus *. Ceterum res hujuſmodi non erat, ut vel objurgationis, vel defenſionis argumentum deberet eſſe. Etenim nec, quod Rotignyus confidenter ſumpſit, vere ſignificaverat Muratorius, nec, ſiqua ratione ſignificaſſet, ab eo, qui vellet his in rebus Pontificum Summorum ſtare decretis, fuiſſet ullo modo vituperandus. Ceterum non defuerunt huic etiam Muratorii libro ſtrenui forteſque defenſores. Eorum ſane libri maxima eſſent laude digni, niſi aliquando longius fortaſſe quam par fuerat ab ira ſine dubio juſta, ſemper tamen a ſapienti viro coercenda, ſe ſe abripi paſſi eſſent. De iis conſulere potes Solium, qui multa in iis, quae in *Aretina, editione Vitae Muratorii* adjecit, contra tum ſui, tum avunculi obtrectatores habet, ex quibus non omnia probet pacatus lector, non omnia rejiciat. Equidem non poſſum, quin hoc loco magnopere laudem Ambroſium Manchium ex Ordine Auguſtinienſium, qui Neapoli commorabatur,

* Cap. VIII. oper. cui titulus, *Il Gianſeniſmo Nuovo*, Venet. anno 1752.

hominem & doctrina & modeſtia omnino ſingulari. Is enim auctor eſt operis, quod *Lamindi Pritanii Redivivi Epiſtola Paraenetica ad P. Benedictum Plazza &c.* inſcribitur; quo quidem opere quidquid in Muratorii librum, de quo loquimur & quaerimus, allatum eſt ab acerrimo ejus adverſario diſſolvitur atque refellitur. Manchius quidem poſtea *Dialogos* vernaculo ſermone compoſuit *contra Mauricium*. Ii quidem an lucem viderint, nondum reſcire potui. Confutaverat etiam ſcriptis aliis alios ejuſdem aurei opuſculi calumniatores, ab iis tamen edendis de graviſſimi viri conſilio abſtinuit, ne nimis obſcuros contemptoſque ſcriptores honore non merito afficere videretur. Ceterum in ea epiſtola facile invenias quidquid omnibus reſpondere debeas ſaepe laudatum Muratorii librum injuſte carpentibus. Defeſſi jam ſumus Muratorianis operibus commemorandis. At egregius ille ſenex & morbis & aetate admodum ingraveſcente preſſus non tamen in operibus ipſis conſcribendis ſe ſe defeſſum profitebatur. Jam ergo de poſtremo ejus opere Theologico, quod unice jam ſupereſt

exponendum, tandem aliquando verba faciamus. Summus Pontifex Benedictus XIV. *epiſtolam* dederat *ad Epiſcopum Auguſtanum de quadam Sanctimoniali*, quae nimirum in oppido, quod *Cauſbira* dicitur a Germanis, magna fuit ſanctitatis gloria, quamvis poſtea detectum ſit, ſuperſtitioſis omnia fraudibus conſtitiſſe. Ea epiſtola fuerat an. MDCCXLVII. multis argumentis oppugnata per Chriſtianum Erneſtum de Windheim religione Proteſtantem, gente Germanum. Hic quidem ea ſcribens alias etiam Benedicti ſententias in opere *de Canonizatione Sanctorum* poſitas labefactare aggreſſus fuerat. Muratorius itaque ei reſpondit *Diſſertationem* typis Lucenſibus anno MDCCXLIX. in lucem edens, cui titulus erat: *De Naevis in Religionem incurrentibus, ſive Apologia Epiſtolae a Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIV. Pontifice Maximo ad Epiſcopum Auguſtanum ſcriptae*. Ea demum *Diſſertatio* Auguſtae etiam praelum ſubivit. Benedictus autem, cum ipſam a Cardinali Tamburinio accepiſſet, gratias auctori per epiſtolam humaniſſimam egit, quam Solius recitat. Verumtamen hoc in opere praeter

Summi Pontificis defenſionem, rem aliam non levis momenti praeſtat. Etenim ex iis, quae de muliere illa acciderant, occaſionem nactus, & libertate uſus, quae Catholicum eumdemque honeſtum deceat ſcriptorem, naevos aliquos aut vitia, quae non Eccleſiae ſunt, ait in Eccleſia detegit, praeſertim in iis, quae pertinent ad pietatis cultum. Etenim hoc etiam in libro demonſtrat, leves aliquos viros, nedum leviores mulierculas, eo ſaepiſſime progredi, ut a vitio ſuperſtitionis aut parum, aut etiam nihil abeſſe videantur. Neque vero doctiſſimi hominis ingenua confeſſio Proteſtantes in erroribus confirmavit, ut ſeveriores quidam Theologi verebantur, at optimae cauſſae non parum profuit. Ii quidem etiam eo deliniti ſunt, quod Muratorius contra Windheimium ſcribens, qui regnantem Pontificem non levi laceſſiverat impudentia, humanitatis atque urbanitatis regulas univerſas conſtantiſſime tenuerit. Nempe non tam quid illi audiendum, quam quid ſibi dicendum eſſet, Muratorius cogitabat. Accidit, ut quondam cum eo ſermonem de illo libro habens homo

mo neſcio quis religioſo cuidam Ordini adſcriptus eam ſcribendi rationem, *ut nimis dulcem atque ſuavem* improbaret. Nempe hujuſmodi homines omnia ferro flammaque miſceri vellent, cum de rebus agitur ad Catholicam Fidem, vel quod ipſi Catholicae Fidei nomine intelligunt, aliqua ratione ſpectantibus, & eas tragoedias, ubi poſſunt, agunt; quae nimium quantum a Chriſti Domini ac Salvatoris noſtri clementia & manſuetudine abludunt. Cui Muratorius illico reſpondit; nunquam fore, ut ejus rei ſe quidem poeniteret: perſuadendo, non objurgando, eum proficere debere, qui convincendos haereticos refutandoſque ſuſcipiat. Muratorium ex vero totam eam rem aeſtimaſſe vel ex iis conſtat, quae, libro *de Naevis* perlecto, Auguſtani Proteſtantes aperte confeſſi ſunt. Sane Joannes Baptiſta Baſſius Auguſtae Canonicus datis ad Muratorium litteris V. kal. Maii anno MDCCXLIX. teſtatus eſt, doctiſſimos Proteſtantes prae ſe tuliſſe, ſi cum hominibus Muratorio ſimilibus agendum eſſet, magnum illud negotium optatae pacis inter Catholicos & Proteſtantes ineun-

dae facillime per ſe ſe ſuſceptum iri. Ea de re, ut obiter id dicamus, cogitaverat jamdiu noſter, quin & Quirinium ſuis etiam conſiliis ad id juverat, ac ſtimulos currenti addiderat, ut eam tractationem cum Proteſtantibus quibuſdam & doctrinae & honeſtatis laude florentibus tandem aliquando ſuſciperet. Itaque lectis iis Buſſii litteris, vehementer laetatus eſt, quod rem aliquando fieri poſſe viderit, ſimulque vehementius indoluit, ſibi aetatem ingraveſcentem, ac non ſatis firmam valetudinem impedimento eſſe, quominus iter in Germaniam ad rem ita praeclaram exequendam arriperet. Verumtamen, quod proprius huc pertinet, liber *de Naevis* per Italiam etiam & Galliam cordatis hominibus ita probatus eſt, ut graviſſimum in eo Theologum a ſtudio partium, & a praejudicatis opinionibus alienum ſe ſe admirari dicerent. Haec de ſingulis Muratorii operibus dicta ſufficiant. Aliqua nos miſſa fecimus ex iis, quae reliquit inedita; quamvis & ea Aretini *Muratorianorum Operum Editores* publici juris facienda ſuſceperint. Ea quidem hujuſmodi eſſe novimus, ut non

admodum nos in iis omittendis aut pigere neceſſitatis, aut alicujus etiam negligentiae poenitere debeat. Reſtat ut cum de ſingulis dixerimus Muratorii libris, & quid de iis aut ab aequis judicibus, aut ab adverſariis pronunciatum ſit expoſuerimus, aliquid etiam de judiciis dicamus, quae de operibus iiſdem univerſis fecerunt homines invidia praeſertim in Muratorium, aut odio, aut alia quavis animi perturbatione laborantes. Nam ſi de iis dicendum eſſet, qui universa laudarunt, multo difficilius eſſet orationis ejus exitum quam initium invenire. Tota mihi potius compellanda eſſet Europa, cum nemo fere ſit etiam extra fines Italiae vir litteris deditus, quin de iis magnifice loquatur ac ſentiat. Ille litigioſus accuſator Cennius vel ex ipſa Muratorianorum operum multitudine detrahendi opportunitatem arripit *. Quid? Rationibus etiam initis fieri nullo modo potuiſſe conatur oſtendere, ut vel brevi tempore, quo teſtatur Solius, ali-

* Vid. *Giornale di Roma* anno 1760.

qua conſcripta fuerint, vel omnia ſine multis adjutoribus elaboraverit. At enim Cennio facile reſpondeas, non modo Solium, ſed & fere omnes ex ea civitate ſummopere litteris ac litteratis hominibus abundante de ſingulari quadam atque alias inaudita, quae Muratorio fuit, ſcribendi libroſque condendi celeritate dicere teſtimonium, quod certe non ſine magna temeritatis nota repudies. Iidem ſane Mutinenſes, quinam adjutores Muratorio fuerint in Eſtenſi bibliotheca nos edocent, innumerabiles nimirum libri, quibus etiam in tabula, ſuper qua ſcribebat, adapertis quandoque circumfuſus ſumebat ille quidquid erat opus, & in rem ſuam derivabat; non ita tamen, ut alienis ſe ſe pennis exornaret, quod levioribus quibuſque ſcriptoribus ſolemne eſt, ſed ut judicium ſuum ſane graviſſimum & maximum adhiberet. Ceterum illud equidem voluiſſem Cennius conſideraſſet maturius, non eodem modo, quod pertinet ad eam rem, de Muratorio ac de ceteris etiam doctis hominibus bonorumque librorum auctoribus eſſe judicandum. Si duodenas per ſingulos fere

dies, paucis quibuſdam annis exceptis, horas eum liberaliſſimis ſtudiis impertiri conſueſſe, Cennius in memoriam revocaſſet; ſi qui fuerint Muratorio ingenii motus ad excogitandum acuti, ad inveſtigandum celeres, ad explicandum uberes, ad memoriam vero quàm maxime firmi atque diuturni cogitaſſet; ſi tantopere Muratorium ſtudiis iiſdem delectatum fuiſſe, ut non alio, ſi tantum demas officia religionis, mentis acerrimae vires facultateſque converteret, Cennius idem ſecum animo reputaſſet, nae facile vidiſſet non ita multis adjutoribus hominem ſapientiſſimum opus habuiſſe. Ceterum ſi quando Muratorius aliorum opera debuit uti, debuit autem ſaepius, quod & ipſi ſuo loco narravimus, nunquam id admiſit, ut in aliquem ingratus aut eſſet, aut ullo modo videri poſſet. Alia quaedam in Muratorianos libros Cennius habet, quae facile per ſe quiſque refellat. Neſcio autem quam hic ſcriptor ipſe ſibi conſtet, cum non modo *eruditum*, aut *doctum*, aut *magnum* eumdem Muratorium appellat, ſed librorum auctorem fuiſſe fatetur, *cui certe invidere poſteritas poterit, non*

autem ad ipſius laudem ullo modo pervenire. Fuit qui conquereretur acerbius Franciſcum Antonium Zachariam minus aequum ſe ſe cenſorem in Muratorium ſaepenumero praebuiſſe. Equidem non diffiteor, eum ita quandoque de tanto viro ſcribere, ut minus ei ſtudere, neque admodum ejus gloriae favere videatur. Sed quibus de cauſſis id factum fuerit, quis non facile ſentiat? Attamen nemo negare auſus fuerit, Muratorium Zachariae ſummum fuiſſe virum, & iis aliquando celebratum laudibus, ut hujus animadverſiones in libros Muratorianos fortaſſe minus aequae facile compenſentur, aut certe admodum emolliantur. Quid jam de quibuſdam ego Scriptoribus pronunciabo, qui magni videlicet ingenii, ad veritatem inveniendam facti, gloriam Muratorio denegarunt? Ita certe deſipuerunt Archangelus Ballatius Carmelita * & Joachimus Gabardius e S. J. **; & ii quidem addiderunt,

* In Vita Italice ſcripta *S. Monicae* Senis anno 1757. in lucem edita.

** *Vid. Saggio Critico di Letteratura Straniera P.I. T. II. p.* 10. Ibi enim hujus de Muratorio judicium refertur.

pravis & abſurdis opinionibus Muratorium *impleviſſe libros*, & alia ſimilia, quae ſcilicet ſine maximo faſtidio nemo perlegat, niſi qui fere nihil de liberaliſſimis diſciplinis audiendo quaerendove cognoverit. Mihi quidem verba non ſuppetunt, quibus tantam inconſideratorum hominum temeritatem exagitem atque proſcindam. Fateor equidem Muratorium fuiſſe hominem, fateor in quibuſdam hallucinatum fuiſſe, fateor erraſſe. At quis plurima dicat in ejus libris *abſurda, ſummique viri doctrina prorſus indigna* reperiri, niſi caput omnino gerat tribus Anticyris inſanabile? Non enim, qui leviſſime ſapiat, abſurda vel prava vocare debeat, a quibus ipſe diſſentiat. Probabilia dicenda ſunt, quae doctorum hominum, atque prudentum aſſenſum movere poſſint, etſi nobis eadem a veritate aberrare ſatis idonea ratione perſuaſum fuerit. Quaenam eſt autem ex opinionibus Muratorianis, iis praeſertim, quas ille fuſius ac data opera propugnavit, quae non plurimos habeat aſſenſores graviſſimos viros quavis eximia laude florentes? Jam vero qui poteſt ſummum ingenium homini

denegari, qui maximarum, earumdemque inter ſe diſſitarum omnino rerum ſcientiam animo complexus, ita de iis diſputaverit, ut nova multa protulerit, multa prolatis addiderit, & ad veritatem inveniendam avia ſaepiſſime loca nullius ante trita ſolo peragraverit? Etenim in iis vel maxime rebus admirabilis ingenii vis exeritur. Cetera memoriae, vel ejus, quae φαντασία dicitur, viribus, vel ipſa exercitatione, vigiliis, ac laboribus perfici poſſunt. Verum conſilii mei me jam poenitet, quod hujuſmodi retulerim cenſuras, & parum abfuerit, quin ipſas refellendas hoc loco ſuſceperim. Quid ſit de iis dijudicandum quiſque non illitteratus & ingenio ſubacto lector facile ſtatuit. Muratorii autem gloria ita eſt in tuto poſita, ut non modo eam nulla leviſſimorum Scriptorum dicacitas, ſed ne ulla quidem vetuſtas, aut poſteritatis oblivio obſcuratura eſſe videatur. Jam igitur haec relinquamus, & ad ea commemoranda pergamus, quae de Muratorii Vita dicenda reſtant. Etenim illud ſupereſt, ut de morbo ejus extremo, ac demum de morte non immatura quidem,

ſed tamen bonis omnibus luctuoſa narrem; quod memoriae proditum accepi. Ex ipſa rerum narratione conſtabit, quid ſit de iis omnino ſtatuendum, qui Muratorium tum coecitate, tum morte poenas Deiparae, propter *Sanguinarium* illud *Votum* oppugnatum, luiſſe ſparſerunt in vulgus, ac litteris etiam conſignare non dubitarunt. Equidem niſi de tanto viro tam gravi contumelia affecto ageretur, nihil ad riſum excitandum aptius afferri potuiſſe dicerem. Quid enim levius enunciari poteſt, quam coeleſti prodigio tribuendum, quod homo, cujus aetas ac valetudo libris qua legendis qua componendis contrita fuerat, cum octavum ſupra ſeptuageſimum vitae annum attigiſſet, & oculis tandem fuerit captus, & ſupremum diem in ſuo lectulo jacens poſt longum ſane morbum obierit? Italiae profecto dedecus eſt, in ea homines inveniri, qui vel in concionibus vel in libris iſta effutiant, neque fere omnium auditorum aut lectorum conviciis excipiantur. Illud multo liberalius & homine Catholico dignius, idemque facetum, quod in eos nebulones, ut equidem

interpretor, ludens Lamius ſcripſit: divinitus factum videri, ut X. kalend. Februarii Muratorius obiret, quo meritorum ſuorum in Deiparam, die Deiparae ſacro; coronam corporeis vinculis exſolutus acciperet. At, quod inſtituimus, abſolvamus: Quamvis tenui valetudine Muratorius vel ab adoleſcentia futurus videretur, & exercitatione corporis, praeſertim in deambulando, & a noxiis voluptatibus, quin & a cibis paullo copioſioribus, abſtinentia ita eam confirmaverat, ut praeter morbum anni MDCCXX. de quo diximus, & alium anni MDCCXXXVI. quo non leviter ob tumorem in pede laboravit, morbis tentatus haud fuerit niſi levibus, iiſdemque minime longis. Anno tamen MDCCXLVI. & eo, qui conſequutus eſt, per Septembrem febre, quam *tertianam duplicem* appellant medici, correptus fuit, ac demum anno MDCCXLIX. per hiemem in genibus magnam debilitatem paſſus eſt non ſine tumore ac dolore aliquo. Mentis etiam vires ita eum defecerunt, ut nihil per totam hiemem litteris mandare potuerit. Tunc quidem S. *Joannis Chryſoſtomi* lectitabat *homilias*,

quibus, ut ſupra narravimus, mirum delectabatur in modum. Ineunte vere eaſdem vires recuperavit, ac librum *de populari eloquentia* conſcripſit. Verum gravioribus ex eo tempore valetudinis incommodis affectus eſt: qua de re medici, ut jus viperae ſumeret, auctores eidem fuere. Paruit Muratorius; at nullo modo potuit adduci, ut in lectulo eſſet, magiſque, ſtudiis intermiſſis, curaret valetudinem. Huc acceſſit, quod eodem anno per Majum, quin & per majorem Junii partem frigidior eſſet aer ob nimias pluvias, quam eo tempore ſoleat. Hinc factum eſt, ut ex quo remedio proficere debuiſſet, non parum ejus valetudo laederetur. Itaque noxius humor, qui conſiſtere consuerat in genibus, ſupernas partes non ſine acribus doloribus petiit; ex quo contigit etiam, ut dexterae manus uſum per plures menſes amitteret. Ad haec proſtratio virium ac nauſea ciborum adjungebatur. Aliquantulum ſe ſe ruri per Autumnum relevari ſenſit, ſed menſe Novembri vis morbi admodum ingruit, cum etiam capitis vertigines, queis videbat res omnes duplices, pateretur. Quamobrem

VII. kalend. Decembris die Catharinae Virgini ac Martyri ſacro, cum ſibi mortem propius imminere ſentiret, vitae ſuae culpas univerſas Catholico ritu Sacerdoti, pietatis religioniſque ſignis haud levibus editis, confiteri voluit. Ad V. kalendas improviſo inter ſcribendum oculo dextero ſe ſe captum eſſe deprehendit, cum ſiniſtrum forte occluſiſſet. Accidit hoc vi paralyſis, qua paullo ante viſum omnino amiſerat, ac deinde, quod in morbis id genus non ſolet ita raro fieri, recuperaverat. At pridie non. Decembris etiam ſiniſtrum amiſit oculum, ex quo tempore non amplius ad mortem videre potuit. Homini tantopere libris dedito nihil moleſtius potuiſſet accidere. Fortiter tamen, ne dum patienter, id pertulit. Crudelius etiam per eum menſem morbo doloribuſque tentatus fuit. Tandem omnibus Chriſtianae Fidei ſacramentis pridie kal. ipſisque kalendis Januarii, procurari voluit. Ad diem prid. id. vis morbi ſemper in deterius vergere viſa eſt, quo etiam tempore noſter non modo virtutes univerſas homine Chriſtiano dignas prae ſe tulit, ſed amicos, ac

neceſſarios ipſe conſolabatur, ut, quod ſibi conditione naturae accidebat, leviter ferrent. Cum triduo ita melius habuiſſet, ut jam convaleſcere videretur, litteras etiam ad Tamburinium Cardinalem, & ad Maffejum dictare potuit. Quod pertinet ad eas litteras, unum eſt, quod ſilentio minime praetermittendum eſſe duco. In epiſtola, quam ad Maffejum dictavit, duabus ex cauſſis fieri dicebat, quominus opinionem illius, quod neque veri magi, neque ſagae ſint, amplecteretur: Altera erat, quod ab ea ſententia Sacrarum Scripturarum auctoritate deterrebatur; altera quod, cum ad ea tempora nullum ex ſuis operibus fuiſſet ab Eccleſia damnatum, ne damnari quidem aliquod voluiſſet in poſterum. Verum ad X. kal. Februarii, cum pridie magno dolore ad partem cordis afflictatus eſſet, ſed tranquillum in ſpeciem ea nocte ſomnum habuiſſet, repente crudeliſſimi, quo correptus fuerat inter dormiendum, ἐυ'μπτωματος indicia dare mane coepit, ac paullo poſt, adſtante Solio ejus ſororis filio, quem ſaepe laudavimus, & Catholicis ritibus ea omnia peragente;

quae per tempus peragi potuerunt, ſpiritum emiſit, cum annos LXXVII. menſes III. dieſque II. abſolviſſet aetatis. Ita mortuus eſt Ludovicus Antonius Muratorius, cujus nomen tamdiu ſine dubio vivet, quamdiu litteris erit ac bonis artibus apud homines honor. Iuſta fuit ſtatura ejus; corpus quadratum, quod tamen ad pinguedinem vergeret; alta frons ac lata; coerulei oculi; longior naſus; quin & ipſa facies oblonga, & colore plerumque ſano. Gravitas in illa ſimul ac neſcio quae ſuavitas exiſtebat, ut omnes ad amorem ſui ac reverentiam facile alliceret. Quamvis omnino paucorum eſſet verborum, affabilis erat & humanus & hilaris; quin & hilarium hominum, praecipue juvenum, dummodo ii ſervarent in omnibus verecundiam, ſocietate delectabatur. Nihil eo modeſtius, nihil etiam demiſſius fuiſſe narratur. Eam enim animi virtutem, quam Ethnicis fere incognitam Chriſtiani *Humilitatem* appellavere, ita coluit, ut ipſam in actibus omnibus, in ipſo inceſſu atque veſtitu prae ſe ferret. Nunquam enim ſericis, at laneis dumtaxat veſtibus, in quibus nihil, praeter

munditiem, magnopere laudaſſes, uti voluit. Gloriae appetentior, niſi in juventute, minime fuiſſe dicitur, cum ad finem multo nobiliorem quidquid agebat aut ſcribebat, referre videretur. Catholicam enim Religionem non modo dictis, ſed & tota vivendi ratione ita profeſſus eſt, ut nunquam omnino, quin ea divinitus tradita ſit hominibus addubitare viſus fuerit. Hinc reliquis etiam omnibus enituit virtutibus, quae Catholicum virum, praecipue ſacris addictum, vel maxime decent. Multa de illius in Deum Fide, multa de Spe, multa de Charitate in Deum & in homines commemorat Solius, a quibus equidem afferendis, praeſertim quod ex reliquis a me narratis intelligantur ſatis, ut brevitati aliquando conſulam, abſtineo. Manſuetudo vero atque patientia, qua plerumque pertulit injurias, tametſi natura fervidus eſſet, ac facile ſanguis ipſius, quod vel ex vultus colore agnoſcebatur, exardeſceret, fuerunt omnino ſingulares. Ut paucis omnia complectar, non modo ſcriptorem eximium in Muratorio univerſus terrarum

orbis, ſed virum omnino bonum; ac Sacerdotum ordine ſuo digniſſimum civitas Mutinenſis, & quotquot cum illo egerunt unquam familiarius admirati ſunt. Corpus ejus poſtridie quam ille deceſſit, non ſine magnis honoribus in S. Mariae de Pompoſa elatum eſt, Epiſcopo Mutinenſi cum Parochis omnibus, aliiſque Sacerdotibus ex principibus civitatis pro eo ſacra facientibus. Sed & alias Muratorio parentatum eſt non ſine rara quadam illoque digna magnificentia. Etenim Meſſanae docti homines, qui Muratorium tanquam unum ex fundatoribus Academiae ſuae venerabantur *, cum nuncius de morte ejus eſſet allatus, memoriam tanti viri funebri oratione, pluribuſque carminibus, ad ejus imaginem floribus redimitam, in ipſa Senatorum Meſſanenſis civitatis aula, celebravit, & Mutinae x. kalend. Februarii anno MDCCLI. cum dies recurreret ipſius obitus juſta denuo ſolemni ritu, majore etiam cum pompa ei perſoluta ſunt, elegantem ora-

* *I Pericolanti Peloritani.*

orationem in ejus honorem Jacobo Alberto Leporatio ad frequentiſſimum populum habente. Ille quidem teſtamento caverat, ut ſine ulla funeris pompa, quin & ſine capſa conderetur in tumulo, quem ipſe ſibi paraverat cum epigraphe

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS
SIBI AC HAEREDIBUS PARABAT
ANNO MDCCXXI.

Sed Solius aliquid dandum ſuae pietati celebritatique avunculi putavit. Itaque illi duo marmorea monumenta cum elogiis in eadem Eccleſia poſuit.

INDEX OPERUM

Cum ſingula ſaepius praelum ſubierint, ut brevitati conſulamus, locum dumtaxat & annum primae editionis apponemus.

Anecdota Latina ec. T. I. Mediol. 1697. II. ibid. 1698. III. & IV. Patavii 1713.

Vita e Rime di Carlo M. Maggi. In Milano 1700. Tomi V.

I primi Diſegni della Repubblica Letteraria d'Italia ec. In Napoli (Venezia) 1703.

Prolegomena ec. in librum, cui titulus: Elucidatio Auguſtinianae de divina Gratia doctrinae. Coloniae 1705.

Lettera ai generoſi e corteſi Letterati d'Italia; ſenza data. In Venezia 1705.

Della Perfetta Poeſia Italiana ec. To. II. Modena 1706. colle Note del Salvini in Venezia 1723.

Lettera in difeſa del March. Gio. Gioſeffo Orſi ec. Bologna 1707.

Introduzione alle Paci Private. In Modena 1708.

Rifleſſioni ſopra il buon Guſto ec. ſotto nome di Lamindo Pritanio. In Venezia 1708. e colla II. parte in Colonia (Napoli) 1715.

Oſſervazioni ſopra una Lettera intitolata. Il Dominio temporale della Sede Apoſtolica ſopra la città di Comacchio ec. In Modena 1708.

Epiſtola ad Jo. Albertum Fabricium ec. 1709.

Anecdota Graeca Patavii 1709.

Supplica di Rinaldo I. D. di Modena alla S. Ceſ. Maeſtà ec. per le controverſie di Comacchio. In Modena 1710.

Queſtioni Comacchieſi. In Modena 1711.

Epiſtola ad Leibnitium de connexione Brunſuicenſis Familiae cum Eſtenſi. Edita T. III. Scriptorum Brunſuicenſia illuſtrantium ejuſdem Leibnitii.

Lettera di Lamindo Pritanio ad uno degli Autori del Giornale d'Italia. Modena 1716.

Vita e Rime di Franceſco Petrarca. In Modena 1711.

Vita del P. Paolo Segneri Juniore, ed Eſercizj Spirituali ec. Tomi II. Modena 1720.

Piena Eſpoſizione dei Diritti Imperiali ed Eſtenſi ſopra la città di Comacchio. In Modena 1712.

Governo della Peſte ec. Modena 1714. e colla Relazione della Peſte di Marſiglia. In Modena 1721.

De Ingeniorum Moderatione in Religionis negotio. Pariſiis 1714.

Antichità Eſtenſi P. I. in Modena 1717. e P. II. 1740.

Diſamina d'una Scrittura intitolata: Riſpoſta a varie Scritture in propoſito della controverſia di Comacchio. In Modena 1720.

Epiſtola ad Cl. V. Davinium de potu vini calidi. Mutinae an. 1720. & 1725. inter ejuſdem Davinii Tractatum.

Della carità Criſtiana ec. In Modena 1723.

Rerum Italicarum Scriptores Volumina XXVII. ab anno 1723. ad 1738. Mediolani.

Vita ed Opere Critiche di Lodovico Caſtelvetro. In Lione (Milano) 1727.

Motivi di credere tuttavia aſcoſo ec. il ſacro corpo di S. Agoſtino. In Trento [Lucca) 1730.

Lettera al Zeno ſulla dimora di Torquato Taſſo in S. Anna di Ferrara. To. X. dell' Opere del Taſſo cominciate a ſtampare in Venezia nel 1732.

Votum circa Diſſertationem de Jejunio cum eſu carnium conjungendo. Eſt in libro, cui titulus: Giudizio del dottiſſimo ec. Muratori ec. intorno la Diſſertazione Latina de Jejunio ec. Parmae anno)1737.

Vita Caroli Sigonii: in fronte dell' Opere di queſto ſtampate in Milano nel 1732.

Vita del Marcheſe Gio. Gioſeffo Orſi: in Modena 1735.

Diſſertazione ſopra una Iſcrizione trovata nella città di Spello. Nel To. XI. degli Opuſcoli del P. Calogerà.

La filoſofia Morale. In Verona 1735.

Primo Eſame della Eloquenza Italiana di Monſignor Fontanini, ſenza il luogo della ſtampa 1737.

Diſſertazione ſopra l' Aſcia Sepolcrale. In Roma 1738. nel To. II. dei Saggj di Diſſertazioni dell' Accademia Etruſca di Cortona.

De Paradiſo ec. Veronae 1738.

Antiquitates Italicae Medii Aevi To. VI. Mediolani ab anno 1738. ad 1743.

Vita di Aleſſandro Taſſoni. In Modena 1738.

Novus Theſaurus Veterum Inſcriptionum ec. Tom. IV. Mediolani ab anno 1739. ad 1743.)

Vita Raynaldi I. Ducis Mutinae: inter Memorabilia Italorum Lamii To. I. Florentiae an. 1742.

Vita Franciſci Torti praemiſſa ejuſdem Operibus. Venetiis an. 1743.

De ſuperſtitione vitanda ec. Mediol. (Venetiis) an. 1742.

Dei Difetti della Giuriſprudenza. In Venezia 1742.

Epiſtolae ſub nomine Ferdinandi Valdeſii ec. Mediolani (Venetiis) anno 1743.

Il Criſtianeſimo Felice ec. P. I. in Venezia 1743. e P. II. nel 1749.

Diſſertazione ſopra un' Iſcrizione ſpettante alla città di Frejus in Provenza. Nel To. XXXI. degli Opuſcoli Calogeriani 1744.

Delle Forze dell' Intendimento umano ec. In Venezia 1745.

Della Forza della Fantaſia. In Venezia 1745.

Luſitanae Eccleſiae Religio in adminiſtrando Poenitentiae Sacramento. Mutinae 1747.

Della Regolata Divozione dei Criſtiani, ſotto nome di Lamindo Pritanio. In Venezia 1747.

Vita di Benedetto Giacobini. Padova 1747.

Diſſertazione ſopra i Servi e Liberti antichi. Nel T. I. delle Memorie della Società Colombaria di Firenze 1747.

Placitum Ravennae apud Claſſem habitum a Silveſtro II. P. M. & Ottone III. Aug. & a Muratorio illuſtratum. In Vol. V. Symb. Gorian. Florentiae 1747.

Liturgia Romana Vetus. T. II. Venetiis 1748.

Riſpoſta ſotto nome di Lamindo Pritanio al Sig.

Cardinal Querini nella Raccolta delle Scritture circa la diminuzion delle feſte . In Lucca 1748.

De Naevis in Religionem incurrentibus ec. Lucae 1749.

Della pubblica Felicità ec. Lucca (Venezia) 1749.

Della Inſigne Tavola di Bronzo ſpettante ai Fanciulli e Fanciulle Alimentarj di Trajano ec. In Firenze. 1749.

Omittimus utpote res minoris momenti, cum de tanto agatur viro, plures epiſtolas ejus ab amicis, ipſo inſcio, in aliis libris impreſſas, aut certe breviores; quamvis inter has poſtremo loco commemoratas emineant, epiſtola ad Scottium *ſopra la Comunion nella Meſſa*, epiſtola ad Imbonatium in laudem Puricellii quae legitur ante hujus carmina, epiſtola ad Cl. Bandinium *ſopra l' Obeliſco di Campo Marzo ec.*

OPERA POSTHUMA.

Dei pregj dell' Eloquenza Popolare . Venezia 1750.

Diſſertazioni ſopra le Antichità Italiane Tomi III. Milano (Venezia) 1751.

Opera, quae aut edi noluit, aut de quibus edendis nunquam viſus eſt cogitaſſe .

Diſſertatio de Barometri depreſſione .

Panegyricus Ludovico XIV. ec.

Sette Diſſertazioni Accademiche ſopra varj argomenti recitate in Modena.

Diſſertatio de Graecae Linguae Uſu & Praeſtantia.

Diſſertatio de primis Chriſtianorum Eccleſiis.

Diſſertatio de Sacrarum Baſilicarum apud Chriſtianos origine & appellatione .

Lezioni di Filoſofia Morale per iſtruzione di un Principe.

Sette Diſcorſi ſpettanti agli Eccleſiaſtici, recitati in occaſione degli Eſercizj Spirituali.

Diſcorſi delle Novene del Natale per gli anni 1718. e 1719.

Diſſertatio de Codice Carolino, ſive de novo Legum Codice inſtituendo Ad Auguſtiſſimum Carolum VI. Imperatorem.

Diſſertazione ſopra un antico documento del Monaſtero dell' Avellana.

Eſpoſizione del Pater Noſter.

Parafraſi de' Salmi, ma non compiuta.

Lettera ſcritta in nome d' una Signora Ingleſe Cattolica ad un Ingleſe Proteſtante ſuo congiunto.

Riſpoſta ſeconda all' Eminentiſſimo Querini intorno alla diminuzione delle Feſte.

Varie Poeſie Italiane e Latine.

Haec opera fere omnia partim impreſſa ſunt typis magnifico ſane luxu, partim imprimenda eſſent in editione univerſarum Muratorii operum, quae Aretii pluribus ab hinc annis coepta ſub auſpiciis ampliſſimi viri Angeli Franceſchi Epiſcopi tum Aretini in plurima jam volumina excrevit. Cum, eo ad Archiepiſcopatum Piſanum tranſlato, ea editio ſubſtitiſſet, audio per hos dies eſſe, qui ſerio cogitent de illa ad umbilicum ducenda; quod certe non cadere non poteſt in litterarum bonum.

ANGELUS FABRONIUS

MICHAELI ANGELO JACOMELLIO

S. P. D.

MEminiſſe debes quae tu mihi aliquando narraſti de Franciſco Lorenzinio, quocum tibi ſummus uſus & conjunctio fuit. Quam multa de illius praeſtantia in poeſi, de celebritate nominis, deque moribus ejuſdem! Ex eo tempore in animum induxi meum illius vitam litteris mandare, idque praeſtiti proximo Sextili menſe, quo fui in Monte Albano caloris Urbani declinandi cauſſa. Hoc, quid quid eſt, ad te mitto, mi ornatiſſime Jacomelli; & ſi forte tale erit, quod poſſint tuae etiam aures tritae jampridem notandis generibus horum ſcriptorum non omnino improbare, velim tibi perſuadeas praeclariſſimo viro majora me fuiſſe daturum, ſi per vires licuiſſet. Quod ſi ſecus rem eſſe cognoveris, quantum me amas, & quantum tribuere potes cariſſimo illi capiti, ſtilo ne parcas. Nihil enim magis opto, quam a tui ſimillimis corrigi & moneri. Jam tibi non improbari gaudeo multorum ſententiam, qui de poeſi actum fore

clamant, niſi coarguatur eorum audacia, qui magnos ſe aemulari poetas putant, cum verſus ſublimes ructant, & ubique furentis animi ſigna edunt. Fuit robuſtus & grandis Lorenzinius, & vividis ſane coloribus ſua carmina infecit; ſed cum ipſe natura & arte ad poeſin inſtructus optime noſſet

Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error,

...

vivent ejus carmina, dum ſtabit honos Italicis Muſis. Eum quidem Michaeli Angelo Bonarrotio libenter aſſimilaverim, qui in hoc praeſertim elaboravit, ut figurae, quas ſcalpebat pingebatque, magnum ſemper quiddam oſtentarent; quare vehementes corporum motus conſectabatur, ſicque venae, oſſa, muſculi, qui vix apparent in operibus ceterorum magni nominis artificum, adeo extant in figuris Bonarrotii, ut eorum initia, curſus atque exitus facile notare poſſis. Quod ſimiles ei eſſe voluerunt plures conſequentium temporum pictores atque ſculptores, qui neque divino illo praediti erant ingenio, neque paria quaeſiverant adjumenta anatomicae doctrinae, effecerunt ſane, ut eorum impudentiam ri-

deremus, qui, dum ipſorum opera dura ac rigida ingrato quodam animi ſenſu adſpicimus, cogimur fateri tantum illos arti, quam profitebantur, detraxiſſe, quantum ſe addidiſſe falſa magnitudinis ſpecie exiſtimarunt. Sed ut ad Lorenzinium redeam, is quidem ajebat, poeſin, quae admirationem non habet, nullam ſe judicare; quare hae illi fuerunt artes grandia invenire, & cum ampla verborum majeſtate inventa exprimere. Admirari enim ea praeſertim conſueſcimus, quae verum ſic repraeſentant, ut non ſolum habeant quaedam verborum & ſententiarum inſignia, ſed quae animum audientis ſic afficiant, ut ſupra ſe elatus vix ſe ipſum agnoſcat. Sed fieri ſolet diſtinctio ſublimitatis imaginum & ſenſus. Per illam quidem magnifice res aliqua pingitur, ſed minime commotiones vehementes animorum excitantur. Quis non admirabitur (pace Macrobii dixerim) famae deſcriptionem in IV. Aeneidum libro, minimeque fatebitur nihil unquam ſublatius fuiſſe dictum?

. . . . mox ſe ſe attollit in auras;
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila
condit.

Neque minus mihi arrident in hoc ſublimitatis genere Horatiana illa.

Juſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida; neque auſter
Dux inquieti turbidus Adriae,
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Profecto quid potuit excogitari majus univerſi terrarum orbis, qui corruit, fragore, & juſti hominis tranquillitate propriaeque virtutis conſcientia, quae in hac tanta ruina neque pavet, neque commovetur? Jam vero ſi ex ipſo Virgilio ſumere exempla volumus alterius generis ſublimitatis, quam ad ſenſum & cor pertinere diximus, illa Niſi mortem ab Eurialo avertere conantis eminere mihi videntur.

Conclamat Niſus, nec ſe celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:

ME ME: adſum qui feci: in me convertite ferrum
O Rutili, mea fraus omnis: nihil iſte, nec auſus,
Nec potuit: caelum hoc & conſcia ſidera teſtor;
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.

Quis non pavet amicorum, quibus nihil unquam fuit conjunctius, periculum, quis non ſuſpicit animi magnitudinem in Niſo, quis demum non vehementiſſime dolet utriuſque ſortem, qui in flore juventae indigniſſimam mortem occubuere? Alia hujuſmodi plura reperiuntur in Virgilio, ceteriſque praeſtantioribus epicis poetis, ut & in tragicis, ſed rariora ſunt in lyricis, quod ab ode actio ſoleat abeſſe. Neque deſunt exempla in Virgilio ipſo, quae utramque ſublimitatem tum mentis, tum cordis continere facile dixeris. Ut ſortem miſeramur Aeneae ceterorumque Trojugenum, quando coacti ſunt diverſa exilia & deſertas quaerere terras! Ut valent ad commovendum animi ſenſum, & ad magnum quiddam exprimendum verba illa

Littora tum patriae lacrimans, portuſque relinquo
Et CAMPOS, ubi Troja fuit.

Nihil mea quidem ſententia ſublimius illo verbo campos, *quo uno tanta repraeſentatur vaſtitas ac ſolitudo, ut nec rudera, nec parietinae inſpectantium oculis ſe ſe objiciant, & ne ad deplorandum quidem Trojae nomen, atque ad lamentandam tantae urbis calamitatem ullus relictus eſſe videatur. Quapropter non immerito dixit Macrobius* (lib. V.) *Virgilium pauciſſimis verbis maximam civitatem hauſiſſe atque abſorpſiſſe. Ille quidem mihi par eſſe Superis videtur, qui grandia & ſublimia exprimere novit, qui rapit auditores lectoreſque ſuos, ſive verum vel in cauſſa vel in affectibus ad vivum repraeſentat, ſive res, voces, actus ob oculos ponit, ſive copia imaginum eamdem rem mirabiliter augentium, ut illa de Neptuno apud Homerum, magnum aliquid exhibet, vel paucis plura ad memoriam revocat, ut celebre illud jusjurandum Demoſtheneum per caeſos in Marathone ac Salamina propugnatores, vel denique (non enim nunc propoſitum eſt nobis omnes ſublimitatis fon-*

tes indicare) vehementi commotione animos afficit. Non dubito autem quin ad id aſſequendum plurimum valeat lectio & imitatio antiquorum ſcriptorum, per quam, ut ait Longinus, eodem modo animabimur, atque ii, qui ad Apollinis ſpecum accedebant, qui divino quodam ſpiritu implebantur, caeleſtique mentis afflatu agitabantur ad fundenda conſulentibus oracula. Id expertus eſt Lorenzinius, qui cum vellet eminere illo ſublimitatis genere, quod ad imagines pertinere diximus, diurna nocturnaque manu Propheticos libros praeſertim verſabat, a quibus tanto ingenii aeſtu ſe inflammari affirmabat, ut procul a terra abreptus atque in altum a conſpectu pene omnium abſtractus ſibi eſſe videretur. Sed nolo te pluribus morari, doctiſſime Jacomelli; & cum de Lorenzinii in poeſi virtutibus, me diſſerentem audis, talem me exiſtima, ut ii, qui ad picturam probandam adhibentur, qui etiamſi ſint inſcii faciendi, cum aliqua tamen ſolertia judicare videntur.

Romae IV. Id. Septemb. MDCCLXV.

Franciscus Maria Lorenzinius

Franciſcus Maria Laurentinus, ſeu Lorenzinius (utroque enim modo ſe appellavit) filius Sebaſtiani Florentini, & Urſulae Mariae Neriae Bononienſis, Romae natus eſt IV. non. Octobres an. MDCLXXX. honeſta quidem familia. Haec enim plures edidit doctrinae laude illuſtres homines. Pater ejus inter domeſticos fuit Chriſtinae Svecorum Reginae, gratiamque illius tenuit non minus propter mores, quam propter magnam corporis dignitatem; quae non minimum commendat. Is filium inſtituendum dedit hominibus S. J. tum in humanioribus litteris, tum in philoſophia, quibus in ſtudiis & naturae bono, & diligentia adeo profecit, ut nobilis inter aequales ferretur. Quo factum eſt, ut iidem Religioſi viri huic roganti, ut in eorum Societatem reciperetur, quamvis aetate paullo grandiori eſſet (agebat enim viceſimum ſecundum aetatis annum) libentiſſime ſint obſecuti. Suſceptae tamen

vitae rationem undecim ſere poſt menſes propter valetudinis cauſſam abrumpere coactus eſt. Huic cum integra eſſet poteſtas conſtituendi quo in genere ſtudiorum potiſſimum verſaretur, diu ſecum multumque dubitavit juris prudentiae ne, an litteris politioribus totum ſe dederet. Ad has ſua illum voluntas deducebat; ad illam multitudinis impellebat judicium, cum quae majori parti pulcherrima videantur, ea ſaepe ſoleant homines amplecti. Movet autem, ac prope ſtupidum vulgus detinet non ſcientiae nobilitas, ſed privati commodi ratio, cum videat haec juris prudentiae ſtudia vendibiliora, cetera autem plerumque algere atque eſurire. Prudenter igitur ſe geſſit Lorenzinius, qui cum re familiari laboraret, forenſem illam viam delegit, in qua adeo proceſſit, ut brevi potuerit eſſe in eorum numero, qui conſilium ſuum fidemque Cyriaco Lancettae litibus judicandis XIIviro praeſtabant. Sed quotidie, quae jam a pueritia valde illum delectarunt manſuetiores Muſae ac philoſophia, tantum ingenium juris prudentiae invidentes ad ſe ſe advocabant, quarum vocibus tandem ſic

ille

ille paruit, ut omni alia cura abjecta, in earum ſinu complexuque ſe abdiderit. Florebat id temporis quam qui maxime Arcadum coetus, quem quatuordecim viri interioribus litteris praediti anno MDCXC. inſtituerant ad profligandam immanem illam ac intolerandam barbariem, quae adeo poeſin infuſcaverat, ut omne ſuum decus amiſiſſet. In quem coetum cum cooptatus fuiſſet Lorenzinius anno MDCCV. idibus Juniis nomine Philacidae Eliaci (nam quod poſtea Philacides Lucinianus dici voluerit, id qua ratione factum ſit opportuniore in loco narrabimus) toto pectore incubuit, ne manerent ulla illius peſtis veſtigia. Qua quidem in re tanta felicitate uſus eſt, ut ſi aſſentiri nolimus propriam ejus laudem eſſe glorioſum hoc opus ad exitum perduxiſſe, fateri certe debeamus aeque meritum de poeſi, quam qui conditores illius coetus fuerunt. Erant hi in ea ſententia, inverecundas tranſlationes, tumidos & inflatos dicendi modos, ceteraque vitia, contra quae ipſi bellum ſuſceperant, ex eo praeſertim capite fluxiſſe, quod Petrarcha vulgo contemptui haberetur,

quare hunc unum eſſe praedicabant, unde ſalubritas poeticae dictionis, & incorruptus color & ſuccus petendus eſſet. Non diffitebatur Lorenzinius, Petrarchae verſus ſuavitatis plurimum habere & dignitatis, & variis ingenii atque etiam artis luminibus refertos eſſe, & animum ſaepe permovere atque impellere, ut de Amoribus ne Graecus quidem quiſquam melius: ſed verebatur ne ſi hunc unum homines intuerentur, & exemplar ſibi proponerent, in eumdem illum languorem reciderent, quem pleriſque poetarum ſaeculi XVI. attuliſſe videtur plane ſervilis illius Poetae imitatio. Quare aliam viam inſiſtendam putavit, qua ad id, quod omnes volebant, feliciori eventu perveniri poſſet. In hac ducem ſibi Dantem praeſertim elegit, cui cum libenter condonaret, quas in eo dicunt eſſe maculas nimium fortaſſe ſeveri Cenſores, nihil magis optabat quam illius ſe perſimilem eſſe in iis praeſertim ſingularibus ac prope divinis virtutibus tum granditatis, viſque verborum ac ſententiarum, tum evidentiae, quibus conſecutus eſt, ut cum delectatione aculeos

tiam relinquat in animis lectorum, & ante oculos eſſe, non narrari ea quae legas videantur. Profecto in hoc difficili itinere hanc gloriam obtinuit Lorenzinius, ut ſanum quoddam ſibi efformaverit ſtili genus, in quo dicas ex Petrarchae lenitate aliquid ad vim Dantis influxiſſe, & ex hac vi non parum animi inflammatum eſſe illi lenitati. Neque ſolum Italicas Muſas, ſed etiam Latinas coluit hoc tempore. Namque aliquot ſunt ejus *Melodramata* (ita appellabantur ſacra poemata, quae in quibuſdam religioſis locis cani ſtatis temporibus ſolita erant) e quibus impreſſa fuere *Athalia*, *Bethſabea*, *Jahel Siſarae debellatrix*, *Mater Machabaeorum*, *Sedecias*, *Thamar vindicata*, *S. Magdalena de Pazzis*, quod poſtremum etiam Italicis carminibus reddidit. De his vero poematibus hoc unum dicam, ſatis eleganter ea ſcripta fuiſſe, neque aliam laudem praeter hanc elegantiae ex iis quaeſiiſſe Lorenzinium. Quibus rebus cum illius nomen multum Romae floreret, accidit, ut oriretur celebris controverſia inter Creſcimbenium & Gravinam, quae totam diſtraxit Arcadiam. Poſita haec erat in in-

terpretatione tertiae legis Arcadicae, quae de de creandis duodecim Collegis, * qui Cuſtodi adeſſe debent, rogata eſt. Nam Gravina adverſus Creſcimbenium contendebat, hanc eſſe vim hujus legis & verborum *ſex in orbem eligito*, ut non liceret ſemel functum munere ſuo Collegam, praeteritis aliis idoneis, iterum eligere. Placuit rem ad concilium Paſtorum referri; ac nullus erat qui non videret, ſi Graviniani ſuperiores diſceſſiſſent, Creſcimbenium de Cuſtodis gradu dejectum, ejuſque in locum Lorenzinium ſuffectum iri. Erat enim ille harum partium, omniumque hujus dignitatis gloria maxime dignus exiſtimabatur. Sed res aliter evenit. Nam plerique Arcadum ſecundum Creſcimbenium pronuntiarunt, ſeque eum defenſuros palam profeſſi ſunt, dictaeque etiam graves ſententiae in Gravinam ejuſque ſectatores;

* *Sic ſe habet lex. Cuſtodi Vicarius & Collegae duodecim adſunto. Eorum ſingulis annis Cuſtos, conſulto univerſo Coetu, novos ſex in orbem eligito; ſex veterum retineto. Adminiſtros ſibi duos adſumito. Praeter haec alia munera publica ne ſunto. Patronus nullus eſto.*

quod miſcere & turbare omnia viderentur. Quae contumelia non fregit eos, ſed erexit. Nam cum ſibi Cuſtodem creaſſent Bracciaenenſium Ducem Livium Odeſcalchium, fidem inter ſe dant, omni ope atque opera eniſuros, ut adverſarios e laudis poſſeſſione exturbarent; & quoniam ſe ſolos eſſe conſervatores & cuſtodes legum Arcadicarum gloriabantur, omnem penes ſe redactam eſſe poteſtatem affirmabant. Nihilo ſegnius, qui erant alterius partis, cauſſam ſuam agebant, cumque ceteros *Exarcades* judicaſſent, eorum nomina albo Paſtorum eraſere. Memorabilem ego hanc controverſiam exiſtimo, quia litteratiſſimi homines non magis de dominatu Arcadiae, quam de principatu Poeſis inter ſe contendebant. Qua in contentione magnum profecto fuit nomen Lorenzinii, quem etiam Braccianenſium Dux Vicarium ſuum habuit. Non defuere ampliſſimi viri, qui rem ad otium deducere tentarunt. Sed id ne fieret maxime obſiſtebant Graviniani, dicentes non privati odii cauſſa, aut amore diſcordiae a ceteris ſe avertiſſe, ſed uti ſartas tectas leges Arcadiae conſervarent;

utque ſe & Arcadiam paucorum factione oppreſſam in libertatem vindicarent. Non eſt praetereundum hoc loco, Dominicum Octavium Petroſellinium adoleſcentem ad poeticam natum, qui a Gravina ſtabat, materiem ex hac controverſia ſumpſiſſe poematis ita varii, ita morati, ita concinni, ut nihil fieri poſſit elegantius. In hoc ſummis laudibus effertur Lorenzinius, cujus in intima familiaritate ille verſabatur. Tali dum pugnatur modo, moritur Braccianenſium Dux; cumque in dies, ſe fortuna inclinante, intelligerent Graviniani ſe pares amplius adverſariis eſſe non poſſe, ſtatuerunt aliquid ſibi novi conſilii capiendum eſſe. Suaſit Gravina, ut ſua adverſariis relinqueretur Arcadia, novamque ſibi inſtituerent Academiam. Quod & fecerunt. Id tamen non probavit Lorenzinius, qui in ea fuit ſententia, aut cum adverſariis concordiam reconciliandam, aut in ſuſcepta contentione perſeverandum. Quid enim erat Arcadiam relinquere, niſi turpiter ſe fateri victos, & fidem datam illius dignitatis ſe fore cuſtodes, frangere? Hanc ſi ipſi negligerent, ſe pro-

ſecto ſervaturum. Itaque tertio anno, poſtquam a veteri Arcadia diſceſſerat, ad illam reverſus eſt, datique ei fuere agri Luciniani, unde nomen ſumpſit Philacidae Luciniani: nam Eliaci, quos initio poſſederat, quosque amiſit, ubi *Exarcas* cum ceteris Graviniania judicatus fuit, in alterius poteſtatem venerant. Hujus diſceſſum vehementer doluere Graviniani, quod ab nullo ſe plus adjuvari poſſe intelligebant ad novae Academiae gloriam comparandam; quodque non dubitabant plures fore, qui illius moti auctoritate & exemplo ſe Arcadiae conjungerent. Sed id non tam conatus eſt Lorenzinius, quam ne ullae ſupereſſent ſimultatis reliquiae. Haud tamen res plane tranquillatae ſunt niſi ex obitu Creſcimbenii, qui malis Arcadiae licentiaque audacium non movebatur ſolum, ſed etiam rumpebatur, ſic ut ejus odia non ſorberet ſolum, ſed etiam concoqueret Lorenzinius. Sed erant curae graviores, quae hunc ſollicitarent angerentque vehementer. Nam propter inopiam & propter negligentiam, qua parvam rem ſuam dilabi ſinebat, in egeſtate coepit eſſe. Illud quo-

que acceſſit calamitatis, quod non deſuerunt, qui in ejus vitam maledicta conjicere auderent, quibus tantum quidem tribuit Alexander Falconerius, qui ſevere & juſte Urbi praeerat, ut hominem ad ſe acceſſierit. Sed ſtatim vidit inimicorum, quos multos habebat Lorenzinius, iniquitatem & perfidiam; ejuſque admiratus ingenium, & miſeratus fortunam voluit, ut pincernae loco apud ſe eſſet. Quo beneficio tanquam ad aſpiciendam lucem vocatus, potuit ſtudia litterarum ardentius colere. Haec enim hilaritatem quamdam deſiderant, quam in ſumma inopia fruſtra quaeras. Sic nullus dies erat, quo non faceret verſus, & nunquam non aderat ἐνθουσιασμὸς, quo commoveretur ad ea, quae Maecenas ſuus optabat, canenda. Quod omnes grandiloquo dicendi & exprimendi genere ſuperabat, vel ipſas levitates amatorias magniloquentia veſtiebat, & nihil tam pavebis quam ultoris Cupidinis iras, ut unam rem exempli cauſſa ponam, canente Lorenzinio *. Ne tamen credas, cum de amore ſaepe locutus fuerit Lorenzinius

* *Capitolo, cujus initium: M' avea la bella viſion d'*

in ſuis carminibus, quaſi mores poetae eſ-fingere orationem. Nihil enim ab illo aberat longius hujuſmodi juvenilibus ineptiis. Eodem tempore Latinas excolebat Muſas, & miraberis fortaſſe ipſum vim ingenii, qua praeter ceteros pollebat, conſumpſiſſe interdum in Latinis, & praeſertim Plautinis comoediis in Italicum convertendis. Raro enim qui per ſe aliquid poteſt interpretis perſonam ſuſcipit. Ut vero Falconerium ſibi magis magiſque conciliaret, cujus amore unice delectari videbatur, ſcribere aggreſſus eſt vitas ejus gentilium B. Alexii atque B. Julianae, quarum unam anno MDCCXIX., alteram anno MDCCXXXVII. typis commiſit. In hoc etiam ſibi faviſſe fortunam dicebat, quod gratiam inierit Ottobonii Cardinalis, cui ut rem gratam faceret, non ut Muſis ſerviret, pleraque ejuſdem *Melodramata* Italicis carminibus compoſita Latina fecit. Neque in una poeſi conquieviſſe Lorenzinium exiſtimabis. Multam enim & diligentem ope-

amore. Libenter mentionem feci illius generis carminum, quae nos Itali dicimus *Capitoli*, quod in his, meo quidem judicio, virtus Lorenziniani poetica praeſertim enitet.

ram dabat anatomiae, cujus flagrans ſtudium eum impulit, ut ſocium ſe adjungeret Cajetano Petriolio, qui tum chirurgiam magna cum ingenii laude Romae exercebat. Mirum tantam ſolertiam eos contuliſſe ad noſcendam admirabilem fabricam membrorum animantium, ut potuerint quaedam nondum ab aliis animadverſa deprehendere! Eligebant ea, quae notatione & laude digna erant, eaque librario tranſcribenda dabant ea mente, ut poſtea in vulgus ederentur. Sed fuit qui ſuo nomini ex horum laboribus libare laudem voluit. Nam turpi largitione corrupto librario, ſcripta ab eo abſtulit, iiſque opus quoddam ſuum ornavit, quod inſcripſit: *In Tabulas Anatomicas Bartholomaei Euſtachii, Chermeſii de Fulget Commentarii*. Tantum crimen non ferendum putavit Lorenzinius. Itaque Dialogum * compo-

* Huic titulus eſt. *IL CARDO. Dialogi d' Ignazio Carletti, ne' quali ſi diſcorre dei Comentarj di Chermeſio di Fulget ſopra le Tavole Anatomiche di Bartolomeo Euſtachio. Tav. IX. Dialogo primo: a Leyda per Gio. Pavovele* 1728. Nomine *Chermeſii de Fulget* occultari Antonium Cocchium, qui in Archigymnaſio Romano Botanicam docebat, aperte in Dialogo declaratur.

ſuit vulgavitque, in quo & furti reus illo convincitur, & errata quaedam ipſius ſalſiſſime exagitantur. Qua re *illi* vehementer offenſus toto ferebatur animo ad inſectandum Lorenzinium. Sed ne ſtatim faceret, continuit gratia, qua ille plurimum apud Falconerium pollebat. Itaque hoc vita functo, in vulgus emiſit Sermonem quemdam Latinum, in quo plane evomuit virus acerbitatis ſuae. Sed forte non intellexit quocum ſibi certamen inſtitueret. Nam Lorenzinius non ſolum paria paribus retulit, edito nomine Quinti Attilii Serrani Sermone, quem non dubito laude Latinitatis Q. Sectani ſatyris anteponere, quemque ipſe Italicis verſibus reddidit, ſed etiam epigrammata in eum fecit eo ſapore Latino condita, ut cum antiquitate certare videantur. In his praeter plagiarium illum, alii quoque, qui illius ſe fore acerrimos defenſores palam ferebant, omnibus contumeliis lacerantur. Quibus veluti fulmine illi percuſſi, ne hiſcere quidem amplius auſi ſunt. Haec epigrammata inſcribuntur: *Analecta variorum Paſtorum Arcadum*, quos defenſionem ſui arripuiſſe fingit

Lorenzinius. Et aequum videbatur, cum munus Cuſtodis ſuſtineret: quod qua ratione ei delatum fuerit, breviter explicabimus. Mortuo anno MDCCXXVIII. Mario Creſcimbenio, Arcades creando ſucceſſori convocantur, ſuffragia feruntur, renuntiantur, pleraque nomen Lorenzinii habere inveniuntur. Aliqua tamen deerant ad juſtum implendum numerum, quem lege quarta Arcadiae de creando & removendo Cuſtode, ſancitum eſt duas eſſe ex tribus partes. Illius fautores poſtulant rem ad ſuffragia revocari. Obſiſtunt adverſarii, praetexentes ſatis haud ſupereſſe diei. Latum deinde ad Arcades de abroganda lege, quod iiſdem adverſariis uſque eo viſum eſt indignum, ut ſtatim a concilio diſceſſerint, denuntiantes, teſtificantes, juranteſque per omnes poeticos Deos quidquam ſe tale nunquam probaturos. Qui ſuperfuerunt Arcades ſcitum fecerunt, ut abrogaretur lex, omneſque Cuſtodem declararunt Lorenzinium. Seges hinc atque materies magnarum diſcordiarum. Ad Magiſtratus quoque aditum eſt, ut quod factum erat, id irritum juberent eſſe. Sed cum Lorenzi-

nius ſe munivìſſet benevolentia multorum, potuit adverſariorum conatus prohibere, seque ſuo in munere, quoad vixit, tueri. Quo in munere haud pauca praeclara geſſit. Nam Colonias quinque conſtituit, Truentinam Aſculi in Piceno, Faneſtrem Fani, Parmenſem Parmae, Icneuticam Foro Livii, & Incultam Romae in Collegio Nazareno: in morem induxit ut octavo quoque die Arcades privatim convenirent: effecitque ut in locum publicorum coetuum, qui magna in diſcordia Paſtorum haberi non poterant, ſcena ſuccederet. Nam cum inſtituiſſet quoſdam adoleſcentes ad agendas fabulas Plauti ac Terentii, has ſpectandas dedit tanto quidem cum plauſu, ut nihil potuerit ſupra. Id aſſequebantur actores induſtrii, ut ii etiam, qui bene linguam Latinam non callerent, facile tamen ad poetae senſum penetrarent. Quare minime eſt mirandum, ſi omnium ordinum virorum magnus ad eos fiebat concurſus. Voluit & eſſe ſpectator Fridericus Chriſtianus Poloniae Regis filius, qui argenteo numiſmate ſingulos actores muneravit. Neque ſolum Plautinas ac Terentianas fabu-

las, ſed etiam dialogos Ciceronis de Amicitia & de Legibus, contentionemque Ajacis & Ulyxis ab Ovidio mirabiliter deſcriptam in ſcenam produxit Lorenzinius. His vero exercitationibus plurimum faviſſe Clementem XII. ex hoc intelligi facillime poteſt, quod eas tutelae Cardinalium Gentilii & Corſinii commendavit; ac ſaepe Lorenzinium ingenti pecunia donavit, qua & theatrum inſtruere, & ſibi proſpicere poſſet. Nam, mortuo Cardinali Falconerio, iterum in egeſtate coeperat eſſe. Huic quoque ſubventum eſt a Cardinali Franciſco Burgheſio, qui illum in numerum retulit ſuorum nobilium familiarium, tantaque in illum uſus eſt indulgentia, ut ſtipendium homini ſemper erogaret, operam nunquam exigeret. Inter haec Lorenzinius Parrhaſium nemus, quod fuerat decennio clauſum, rurſum aperuit. Data hinc occaſio plurimis adoleſcentibus, quos ipſe in poetica inſtituerat, in lucem prodeundi. Et ſiquos ex iis ingenio minus valere videbat, non patiebatur inglorios eſſe; ſua enim & libenter & facile iis concedebat. Quo factum eſt, ut quaſdam carminum

collectiones habeamus, e quibus ſi Lorenzinius auferret quod ſuum eſt, haud paucos ſimiles ſuperbo illi graculo omni ornatu nudatos videremus. Idem nobiles juvenes, qui in Collegio Germanico Latinas tragoedias a Joſepho Carpanio ſcriptas agerent, geſtum docuit atque ad ſcenam inſtituit. Nemo autem fuit, qui operam ab eo expoſceret, cui ipſe libentiſſime non ſatisfaceret. Quod non praeſtabat natura ſolum, ſed etiam doctrina: *nam*, ut ait ille, *principum philoſophorum ita percepta habuit praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur*. Non ſemper tamen homines in ſe aeque liberales expertus eſt; & poſt exceſſum Clementis XII., cum magnis ſubſidiis caruiſſet, neque idcirco ſumptus minuiſſet, quos in theatrum praeſertim faciebat, in aes alienum incidit. Metuens ne hujus magnitudine opprimeretur, anno MDCCXLI. omnem ſuam de Latinis fabulis curam abjecit; relictaque domo, quam conduxerat prope templum SS. Laurentii & Damaſi, Burgheſianas in aedes habitatum venit. Quoniam hic tantum habebat otii, quantum ei nunquam antea contigerat, plura ſcri-

pſit tum Italicis, tum Latinis carminibus. In his ſunt aliquot ejus Sermones, in quibus Perſii ſtylum imitandum ſibi propoſuit, non illum durum & obſcurum, ſed ſalſum, acrem, & brevi, ut ipſe ajebat, jugulantem mucrone. Sed praeſertim ad ſacrarum litterarum ſtudia traduxit animum, ſumpſitque hoc ſibi, ut librum Job, & cantica Prophetarum verſibus Italicis redderet, non ut interpres, ſed ut παραφραστής. Quibus in rebus cum eſſet acerrime occupatus in febriculam incidit, quam initio ipſe & medici, quamvis ventris profluvium accederet, contempſerunt. Sed cum nunquam plane decederet, morbus ingraveſcere coepit. Id ut ſenſit Lorenzinius, Joſephum Carpanium, quem paullo ſupra commemoravimus, & quocum ſibi vetus erat familiaritas, ad ſe accerſiri juſſit, ſibique ut adeſſet rogavit. Plurima quidem in hac diuturna, gravique extremo praeſertim tempore aegrotatione dedit ille teſtimonia conſtantiae ac pietatis. Dicitur, cum ei morti proximo allatum eſſet ſacrum & ſalutare Domini noſtri Corpus, aeſtu ingenii ſui divinoque amore abreptum

fudiſſe

ſudiſſe ex tempore carmen illud, quod incipit;

Un Dio nelle mie ſtanze? Ah non ſon degno ec.

Sed falſo ei tributum fuiſſe, & ſtilus, ab ejus conſuetudine abhorrens, & qui domum ejus frequentabant, fidem faciunt. Diem extremum obiit poſtridie id. Junii an. MDCCXLIII. eique honeſtum funus in Templo S. Nicolai *de' Perfetti* Cardinalis Burgheſius faciendum curavit. Ibidem conditus eſt, tumuloque triennio poſt haec inſcripta fuere.

D. O. M.
FRANCISCO LORENZINI ROMANO
LITTERARII ARCADUM COETUS
CUSTODI GENERALI
DOCTISSIMO VIRO POETAE SUMMO
MICHAEL JOSEPH MOREI
ARCADIAE CUSTOS
DECESSORI CLARISSIMO
ARCADUM CONSULTO
POSUIT
ANNO MDCCXLVI.
OBIIT ANNO MDCCXLIII.

Deberi quoque Arcades hoc a ſe tanto viro putarunt, ut mortem illius carminibus deflerent, hocque elogium Parrhaſio in nemore inciderent.

Θ C. V. C.
PHILACIDAE LUCINIANO
ARCADIAE CUSTODI GENERALI
COETUS ARCADUM
VIRO MAXIMO
OLYMP. DCXXX. AN. III. AB. A. I.
OLYMP. XIV. AN. II.

Praeclara haec quidem ad diuturnitatem gloriae; ſed his perenniora erunt elegantiſſima illius carmina. Pauca quidem ſunt in manibus, ſi numerus ſpectetur eorum, quae ſcimus condidiſſe. Nec omnia propria illius dicere debemus, ſi ea excipias, quae leguntur decimo in volumine *delle Rime degli Arcadi*. Utinam aliquis reperiretur, qui vera a falſis diſtingueret, qui quae ſunt alieno nomine vulgata, ſuo auctori reſtitueret, quique plura ab hoc relicta ſedulo perquireret, omniaque in lucem proferret. Profecto huic

Italica poeſis non parum deberet, ut plurimum certe debet Lorenzinio, quod inter primos Romae viam muniverit ad genus ſcribendi nervoſum, grande atque magnificum. Idem etiam, ſi res poſceret, dulcis erat, ſuavis & venuſtus. Sed praeſertim in eo altero genere excellebat. Habet ille quidem multa & praeclara ſummorum hominum judicia, ſed mihi unus inſtar eſt omnium Vincentius Gravina, qui ſolitus erat dicere, Lorenzinium alterum eſſe Homerum. Ejus domum quoque comparabat modo equo Trojano, ex qua ſcilicet non belli duces, ſed egregii poetae plurimi in apertum prodirent; modo antro Apollinis, unde, qui ingrederentur, poetae redirent. Libet hoc loco referre jambum ejuſdem, quem ſcripſit in quodam libello carminum Lorenzinii, quae ipſe collegerat.

Petrarcha primus temperavit Italam
Lyram, ſed uſus artibus Scholaſticis,
Quas illius ferebat aetas ſqualllida.
Poſt cultiores prodiere litterae
Sacri Leonis a favore provido,
Qui verſiones provocans, Grajum novas

Exſuſcitavit, & Latinas Gratias.
Hos anteire cum ſtuderet Ciampolus
Muſarum adulter, & Marinus impudens,
Et qui Petrarcham nominarunt aridum,
Inane murmur, ſpumeoſque turbines
Stulti dedere, & dum cavent communia,
Feruntur imprudenter ad contraria.
Qua peſte multi ſaniores territi
Stylo Petrarchae muniuntur ſobrio:
At cum Poetae verba miſſo ſpiritu
Texant, neque ultra quam Petrarcha prodeant
Per cantilenas, perque eorum nenias,
Vox vana ſenſu deſtituta circuit.
Sed qui POETA paganis iſtis canit,
Parique quiſquis educatur ſidere
Ab aridis declinat atque turgidis,
Dircaea tutus dum pererrat flumina.

Sed quemadmodum laudatores quamplurimos habuit Lorenzinius, ita obtrectatores (quod fatum eſt clariſſimorum virorum) ei non deſuerunt, qui illius ſcribendi genus non ipſius viribus, ſed imbecillitate ſua metientes, dixere ſaepe plus aequo efferri, ac etiam turgeſcere, nec varietatem quamdam habere.

Sed hos confutare neque neceſſe eſt, neque eſt hujus loci. Tantum monere volumus eos, qui ſe Lorenzinianos profitentur, ſtulte errare, ſi ex eo, quod pauca verba illius ſint imitati, hoc nomen mereri putant. Sunt multo plura & majora, ad quae aſpirare non poſſunt niſi ii, qui natura valent, & mentis viribus excitantur, & quaſi divino quodam ſpiritu afflantur; qui in ſcriptis veterum ſtudioſe & multum ſint volutati; quique judicio ſummo ſint praediti, ut intelligant, qui ſunt recti fines, dum illum feliciter audentem conſectari volunt. Noverat optime Lorenzinius, quod

Scribendi recte ſapere eſt principium & fons:

quo factum eſt, ut nunquam intermiſerit ſtudia philoſophiae: ſacris vero litteris tantum operae navavit, ut non facile reperire poſſis quid ei fuerit incognitum. Neque leviora ſtudia contempſit: nam non ſolum de ſignis, picturis, aedificiis rectiſſime judicabat, ſed etiam paſtillis haud ineleganter pingebat. Ob quam rem a nonnullis harum ar-

tium peritis mirifice colebatur, eoſque multum conſilio ſuo juvabat. Fuit autem procero corpore, formaque ad dignitatem appoſita; ſed ſui & omnis munditiae ita deſpiciens, ut Cynicum dixiſſes. Jocis & conviviis plurimum delectatus eſt. Idem ſuſpicax, pronus ad iram, & paullulum turbulentus. Etiam machinatio, & illa aſtutia, quae vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea diſtatque plurimum, haud raro viſa in eo eſt. Adverſam vero fortunam moderate tulit; divitias non expetebat, ac ſaepe oblata ſibi a Cardinali Gentilio Clementis XII., ut vocant, Datario ſacerdotia conſtanter recuſavit. Quod non tantum moderationi, quam religioni tribuendum eſt. Intelligebat enim, Eccleſiae bona iis ſolum deberi, qui ad miniſterium illius a Deo ſunt vocati. Fide fuit ſingulari, ac liberalitate in amicos, ut poſſit judicari, omnia ei cum ipſis fuiſſe communia. Plurimum valebat in genere dicendi gravi, aptoque ad perſuadendum, quod ſaepe fervor quidam inflammabat. Nunquam de ſe glorioſius praedicavit, leviſque animi eſſe dice-

bat quaerere laudes hominum, quaſi mercedem meritorum. Nihil ei optabilius & jucundius erat quam impertire ceteris, quam ipſe conſecutus fuerat, praeſtantiam doctrinae. Ex quo factum eſt, ut ejus domus, tanquam ludus quidam, ſemper patuerit induſtriis adoleſcentibus.

OPERA EDITA

Rime. Non uno in loco impreſſa ſunt carmina Italica Lorenzinii, videlicet Mediolani, Venetiis, Neapoli, Praeneſte, & Foro Livii. Romae vero edita fuere cum carminibus Italicis aliorum illuſtrium Arcadiae Paſtorum. Separatim a reliquis volitant per manus hominum παραφρασης Canticorum Moyſis, quae ſic incipiunt: *Audite Coeli, quae loquor*, & *Cantemus Domino glorioſe*: Debbore: *Qui ſponte obtuliſtis*: trium Puerorum: *Benedicite omnia opera Domini*; atque Ode ſane nobiliſſima, quam dixit in aedibus Cardinalis Ottebonii, cum Marcellus muſicus docuiſſet canere ad harmoniam Pſalmos Davidicos.

Melodramata varia, Haec ſunt:

---- *Jahel Siſarae debellatrix*: Romae apud Joannem Franciſcum Buagnum 1701. in 4.

---- *Athalia*: apud eumdem 1703. in 4.

---- *Sedecias*: apud eumdem 1704. in 4.

---- *Mater Machabaeorum*: apud eumdem, eodemque anno, in 4.

---- *Thamar vindicata*, apud eumdem 1706. in 4.

---- *Diva Maria Magdalena de Pazzis*; Italice & Latine apud eumdem Buagnum 1707.

---- *Bethſabea*: apud eundem 1708.

Melodramata Cardinalis Ottobonii a Lorenzinio in Latinum verſa.

Vita del B. Aleſſio Falconieri. Roma preſſo Franceſco Gonzaga 1719.

---- *della B. Giuliana Falconieri: Roma nella ſtamperia del Komarek.* 1737.

Il Cardo. Dialogi d' Ignazio Carletti, nei quali ſi diſcorre dei commentarii di Chermeſio di Fulget ſopra le távole Anatomiche di Bartolomeo Euſtachio. Tav. IX. Dialogo Primo: a Leyda per Gio. Pavovole 1728.

Sermo Quinti Attilii Serrani. Latine atque Italice editus.

Epigrammata in eumdem Chermeſium. Inter *Analecta varia Paſtorum Arcadum*.

INDEX RERUM

NOTATU DIGNIORUM, QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ALexander VIII. 73.
Amedeus Rex 242.
Arcadia Academia 11. ejus leges 12. 76. inſtituta 401.
S. Auguſtini Reliquiae 236.

B

BAcchinius Benedictus 97.
Bandinius Angelus 278.
Baſſius Joannes 369.
Benedictus XIV. 115. & ſeq. 292. 308. 322. 324. 340. 353. 354. 362. 367.
Biſcardus 8.
Blancus Janus 212.
Blanchinius Franciſcus 75. 133. 134.
Brenna Aloyſius 89.
Burnetus Thomas 340.
Buurſius oppugnatus 152. 162.

C

CArolus VI. 229. 244.
Carus Annibal 160.
Caropreſius Gregorius 5. 6. 49.
Caſuiſtae reprehenſi 20.
Caſtelvetrius 160.
Cennius Cajetanus 188. 203. 228. 258. 281. 286. 361.
Ciampinius Juſtus 70.
Clemens XI. 35. 84.
Coardus Paullus 10.
Comaclum ejus cauſſa controverſiae 185. 214. & ſeq
de Conceptione Virginis controverſiae 305. & ſeq.
Concina Daniel 305. 339.
Corſinius Eduardus 266.
Corte Bartholomeus 178.
Creſcimbenius Marius 12. 42. 403.
Cujacius 29.
Cyrillus Paſqualis 183.

D

DEvotio quae vera 348.

E

EMmanuel III. Sardiniae Rex 120. 262.
Eſtenſium Antiquitas 219. & ſeq.

F

FAbricius Albertus 213.
Falçonerius Alexander 408.

Ferraria ejus cauſſa contro-verſiae 217. & ſeq.
Feſtorum diminutio 353.
Fontaninius Juſtus 152. re-prehenſus 208. 214. 227 232. 337. & ſeq.
Frugonius Carolus Inno-centius 63.

G

GAbriellius Pirrus 69. 75.
Gallandius Andreas 347.
Gattius Antonius 145.
Gherardus Petrus Hercules 104. 256.
Gorius Antonius Franciſcus 276.
Gotius Vincentius 337.
Gravina Jan. Vincent. ejus vita 5. in eum Sectani o-dia 19. 77. ejus de ori-gine Juris opus 22. 33. munera 25. orationes 26. liber de poeſi 40. tra-goediae 44. carmina 47. honores & mors 51. teſta-mentum 52. mores & in-genium 54. ſtilus 57. o-pera 60. controverſiae cum Creſcimbenio 403.
Guidottius 91.
Guidius Alexander 15. & ſeq.

H

HIſtoriae ſcribendae praecepta 64.
Huetius Daniel 173. & ſeq.

I

JAcomellius Michael An-gelus 392.
Jeſuitae 288. 353. 360.
Jejunium quomodo obſer-vandum 338.
Innocentius XII. 80.
Inſcriptiones veteres 263.
Julianus Apoſtata 202.

L

LAmius 251.
Lanciſius 135.
Lazzarinius Dominicus 160.
Lemenes Franciſcus 204.
Leibnitius 218.
Liturgia vetus 279.
Lorenzinius ejus vita 399. controverſiae 401. ſtilus 398. 408. 419. & ſeq. Arcadiam regit 413. La-tinas fabulas exhibet 414. anatomiam colit 410. ſatyras ſcribit 411. 416. mors 417. mores & opera 423.

M

MAbillonius 74.
Maffejus Scipio 14. 121. 208. 243. 267. 274. 364.
Maggius Carolus Maria 146. 204.
Martinus Emmanuel 22. 40. 79. & ſeq.

Martellius Petrus Jacobus 167.
Mazzocchius Simmachus 276.
Metaſtaſii laudes 1. & ſeq. 53.
Migazzius Card. 362.
de Miro Jo. Baptiſta 46.
Molierius 151.
Muratorius Ludovicus Antonius ejus vita 89. Magiſtri 90. & ſeq. prima opera 100. munera 99. 101. 105. religio 104. caritas 107. honores & elogia 121. & ſeq. induſtria 124. ejus reſpublica litteraria 127. & ſeq. ejus carmina & de poeſi liber 150. controverſiae 154. Petrarchae carmina edit 165. ejus ſtilus 168. qui philoſophus 171. quam juris peritus 179. & ſeq. ejus eruditio 187. & ſeq. pro juribus ſui Principis pugnat 216. & ſeq. quam antiquitatis peritus 239. & ſeq. Annales Italiae ſcribit 282. quam de Theologia meritus 293. & ſeq. hujus cauſſa controverſiae 305. & ſeq. ejus induſtria 372. morbus 377. mors 382. opera 386.

N

NAzianzeni Gregorii poemata 199.

O

ODeſcalchius Livius 405.
Ottobonius Cardinalis 74.

P

PAulini Nolani poemata 189.
Pepius Franciſcus 359.
Peſtis remedia 176.
Petrarchae Odae defenſae 156. ejus carminum editio 164. 165. de his judicium 166.
Petroſellinius Dominicus Octavius 15. 406.
Philoſophia moralis 172.
Piazza Benedictus 360.
Poenitentiae Sacramentum 343.
Poeſis Italica 147. Gallica 148.
Puricellius Franciſcus 214.

Q

QUirinius Card. 321. 355. & ſeq. 370.

R

RApolla Franciſcus 183.
Raynaldus Eſtenſis 101. & ſeq. 213.
Reſpublica litteraria 127. & ſeq.
Rollius Paullus 15.
Roſſius Gabriel 247.
Rotignus Conſtantinus 364.

S

SAlvinius Antonius Maria 157.
Salisburgenſes Monachi 326.
Sancti quomodo colendi 351.
Schezius 363.
Schiavus Blaſius 159. 162.
Sectani ſatyrae 19. 79. & ſeq.
Segnerus Paullus 205.
Sergardius Ludovicus 19. ejus vita 68. ejus ſatyrae 70. in Gravinam 79. & ſeq. ejus errores 85. mors 86. opera 87.
Sigonius Carolus 209. 252.
Solius 136. 256. 281. 291. 365. 385.
Sublimitatis fontes 394. & ſeq.

T

TAmburinius Cardinalis 117. 327.
Taſſus Torquatus 210.
Taſſonus Alexander 211.
Tortius Franciſcus 212.
Treviſanius Bernardus 127. 131. 136. & ſeq. 140.

V

VAliſnerius Antonius 178.
Votum Sanguinarium 302. & ſeq.
Urſius Joann. Joſephus 99. 161. 163. 209.

Z

ZAcharia Antonius 260. 313. 374.
Zenus Apoſtolus 114. 208. 240.

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

JANUS VINCENTIUS GRAVINA pag. 5.

LUDOVICUS SERGARDIUS pag. 68.

LUDOVICUS ANT. MURATORIUS p. 89.

FRANCISCUS MARIA LORENZINIUS p. 399.

ERRATA CORRIGE

Pag.	lin.	Errata	Corrige
4.	17.	ut eae	ut eae ſe
11.	9.	quo	ex quo
220.	ult.	Sane vidimus	Sane quod vidimus
275.	ult.	tribuendum	tribuendum eſſe. Alteram hujus
282.	22.	vitiis careat	vitiis haud careat
ibid.	23.	majoris momenti	*adde* res attulerunt
288.	10.	nero	neque vero
292.	11.	deceptos, decipientes	deceptos, aut decipientes
293.	20.	in rep. de iis	in rep. litterarum de iis
342.	2.	imprimentur.	imprimeretur.
348.	11.	totidemque	*adde* vicibus

00023294

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016